



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

Liber Nonus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12945

M. FAB. QUINTILIANI
D E
INSTITUTIONE ORATORIA
LIBER NONUS.

C A P. I.

Quo differant figura à tropis.

QU M sit proximo libro de tropis dictum, sequitur pertinens ad figuras, quæ *schemata* Græce vocantur, locus, ipsa rei natura conjunctus superiori. Nam plerique has tropos esse existimant, quia sive ex hoc duxerint nomen, quod sint formati quodam modo: sive ex eo quod vertant orationem, unde & *motus* dicuntur: fatendum erit esse utrunque eorum etiam in figuris. Usus quoque est idem. nam & vim rebus adjiciunt, & gratiam præstant. Nec desunt qui tropis *figura* nomen imponant, quorum est C. Artorius Proculus. Quin adeo similitudo manifesta est, ut eam discernere non sit in promptu. Nam quo modo quædam in his species plane distant, manente tamen generali illa societate, quod utraque res à recta & simplici ratione cum aliqua dicendi virtute deflectitur: ita quædam perquam tenui limite dividuntur: ut cum *ironia* tam inter figuras sententiæ, quam inter tropos reperiat. *Ἐπίθετον* autem, & *ὑπόθετον*, & *ὀνομαστικόν*, & *ἰριδιόν*,

Persequitur reliquas ornatus partes, *figuras* & *compositionem*. initio docet quid *figura* differat à *tropo*, deinde agit de *figuris sententiarum* & *verborum*, postremo de *compositione*. Turneb.

I Quia sive ex hoc, &c.] Tropus græce significat mores & modum. id est, quandam conformationem. idcirco Fab. tropum dixit esse quasi formatum. signifi-

cat etiam *mutationem*, ideoque *motum* interpretatur Fabius. locus est ab etymologia. Idem.

2 Ut cum ironia, &c.] Ironia est duplex. est enim quædam tropus, quædam figura. tropus est, cum aliud dicitur, & aliud intelligitur, citra tamen simulationem manifestam: figura est, cum tota voluntas simulatur & fingitur. ista autem perquam tenui limite discrepant. Idem.

ἐπιθετον, clari quoque auctores ¹ *figuras* verborum potius quam *tropos* dixerunt. Quo magis signanda est utriusque rei differentia. ² Est igitur *tropus sermo à naturali & principali significatione translatus ad aliam ornandæ orationis gratia*: vel, (ut plerique Grammatici finiunt) *dictio ab eo loco in quo propria est, translata in eum in quo propria non est*. *Figura* (sicut nomine ipso patet) est *conformatio quædam orationis remota à communi & primum se offerente ratione*. Quare in *tropis* ponuntur verba alia pro aliis, ut in μέλαφορᾶ, μέθυμια, ἀνθρομασία, μετελήψις, σιωπεδοχῆ, κἀλαχρήσις, ³ ἀλληγορία, plerunque ὑπερβολῆ. namque & rebus fit, & verbis. ὀνομαστικὴ fictio est nominis, ergo hoc quoque pro aliis ponitur, quibus usuri fuimus, si illud non fingeremus. κασιφρασίς etiamsi frequenter & id ipsum in cuius locum assumitur, nomen complecti solet, utitur tamen pluribus pro uno. ἐπιθετον quoniam plerunque habet ⁴ *antonomasia* partem, conjunctione ejus fit *tropus*. In *hyperbato* commutatio est ordinis: ideoque multi *tropis* hoc genus eximunt. Transfert tamen verbum aut partem ejus à suo loco in alienum. ⁵ Horum nihil in *figuras* cadit. Nam & propriis verbis, & ordine collocatis *figura* fieri potest. Quomodo autem *ironia* alia sit *tropi*, alia *schematis*, suo loco reddam. Nominis enim fateor esse communia hæc, & scio quam multiplicem habeant, quamque scrupulosam disputationem: sed ea non pertinet ad præsens meum propositum.

Nihil

¹ *Figuras verborum potius, &c.*] Videntur potius esse *figurae* quam *tropi*, quia non habent mutationem vocabuli à propria significatione in aliam minus propriam. sed tamen hoc solvetur à Fabio. *Idem.*

² *Est igitur tropus.*] Præter hanc differentiam, aliam addit Alexander Nemenius, quod scilicet *tropus* sit in *diclione*, *figura* autem sit in *oratione*: quo pacto in vitiis differunt *barbarismus* & *solæcismus*. quamquam Fab. *tropum* etiam esse vult in sermone. Discrimen est datum ex definitione per differentiam. *Idem.*

³ *Αλληγορία.*] Nam *allegoria* interdum est in *verbis*, ut cum sunt multæ *metaphoræ* continuatæ: aliquando vero est in *rebus*, ut cum quidam *gryphi* proponuntur & quædam *nigmata*. *Idem.*

⁴ *Antonomasia.*] *Epitheton* appellant *antonomasia* partem, quia species quædam *antonomasiae* fit per *epitheton*: adeoque si *epitheton* ponitur sine *substantivo*, *antonomasia* efficit, ut docuit lib. 8. *Idem.*

⁵ *Horum nihil.*] Ita significat *tropum* non solum esse in *mutatione significationis propriæ in alienam*, sed etiam simpliciter in *mutatione vocis*, aut in *mutatione ordinis vocum*. *Idem.*

1 Tam

Nihil enim refert quo modo appelletur utrumlibet eorum, si quid orationi profuit, apparet. Nec mutatur vocabulis vis rerum. Et sicut homines si aliud acceperunt quam quod habuerant nomen, iidem sunt tamen: ita hæc de quibus loquimur, sive *tropi*, sive *figura* dicentur, idem efficient. Non enim nominibus profunt, sed effectibus: ut statum conjecturalem, an *insicalem*, an *facti*, an *substantia*, an *de substantia* nominemus, nihil interest, dum idem quæri sciamus. Optimum ergo in his sequi maxime recepta, & rem ipsam quocumque appellabitur modo, intelligi. Illud tamen notandum, coire frequenter in easdem sententias & *tropo* & *figuram*.¹ Tam enim translatis verbis quam propriis figuratur oratio. Est autem non mediocris inter auctores defensio, & quæ vis nominis ejus,² & quot genera, & quæ quam multæque sint species. Quare primum intuendum est, quid accipere debeamus figuram. Nam duobus modis dicitur:³ Uno, qualiscunque forma sententiæ, sicut in corporibus, quibus, quoquo modo sint composita, utique habitus est aliquis: Altero, quo proprie *schema* dicitur, in sensu vel sermone aliqua à vulgari simplici specie cum ratione mutatio: sicut nos *sedemus*, *incumbimus*, *respicimus*. Itaque cum in eisdem casus, aut tempora, aut numeros, aut etiam pedes, continuo quis aut certe nimium frequenter incurrit, præcipere solemus variandas figuras esse vitandæ similitudinis gratia. In quo ita loquimur, tanquam omnis sermo habeat figuram.⁴ Itemque eadem figura dicimus *curritare*,
qua

¹ *Tam enim translatis.*] Non id ait, quod *tropus* sit species figuræ, sed quia dictiones *tropo* mutata ita collocari poterunt in oratione ut efficiant aliquam figuram. *Idem.*

² *Et quot genera.*] Referrenim Alexander Numenius quosdam existimasse *infinitas esse figurarum species*: in qua videtur esse sententia Cic. Addit præterea Alexander quosdam existimasse *non esse infinitas*, sed tamen usque adeo

numerosas ut comprehendi non possent. *Idem.*

³ *Uno qualiscunque forma.*] Jubent *dialectici* in homonymia, ut rem ante distinguamus, ut constituatur quid accipi debeat: idem facit Fabius, cum sit homonyma dicitio figuræ. *Idem.*

⁴ *Itemque eadem figura.*] *Figura* hic accipi videtur pro analogia ac simili derivatione inflexioneque. referri tamen potest ad secundam speciem, quando efficit *homæotelenon*. *Idem.*

¹ *Incom-*

qua *lectitare*, id est eadem ratione declinari. Quare illo intellectu priore & communi nihil non figuratum est. Quo si contenti sumus, non immerito Apollodorus si tradenti Cæcilio credimus, ¹ incomprehensibilia partis hujus præcepta existimavit. Sed si habitus quidam, & quasi gestus sic appellandi sunt, id demum hoc loco accipi *schema* oportebit, quod sit à simplici atque in promptu posito dicendi modo poëtice vel oratorie mutatum. ² Sic enim verum erit aliam esse orationem ἀσχηματιστον, id est carentem figuris, quod vitium non inter minima est: ³ aliam ἐχηματισμωδω, id est figuratam. ⁴ Verum id ipsum anguste Zoilus terminavit, qui id solum putaverit *schema*, quo aliud simulatur dici, quam dicitur: quod sane vulgo quoque sic accipi scio: unde & ⁵ figuratæ controversiæ quædam, de quibus paulo post dicam, vocantur. Ergo figura sit arte aliqua novata forma dicendi. Genus ejus unum quidam putaverunt, in hoc ipso diversas opiniones secuti. Nam hi quia verborum mutatio sensus quoque verteret, omnes figuras in verbis esse dixerunt: illi quia verba rebus accommodarentur, omnes in sensibus. Quarum utraque manifesta cavillatio est. ⁶ Nam ut eadem dici solent aliter atque aliter, manetque sensus elocutione

¹ *Incomprehensibilia partis hujus, &c.]* In eadem est opinione Dionysius Halicarn. in arte. Cæcilius citat, qui rhetoricam est professus Romæ tempore Augusti. Idem.

² *Sic enim verum.]* Ἀσχηματιστον dupliciter accipimus, aut quod male figuratum est, aut quod nullas omnino figuras habet. meminit hujus in cap. de ornatu. Idem.

³ *Aliam ἐχηματισμωδω.]* Id est figuratam. Vide Turneb. lib. xi. Adversarior. cap. i.

⁴ *Verum id ipsum.]* Superiores peccabant quia latius figuram accipiebant quam deceret, Zoilus peccat quia angustius. cujus apud Alexandrum Numeonium hæc est definitio, *Figura est, cum*

aliud simulamus, aliud dicimus. at tamen (ut inquit Alexander) apud nos aliquando addubitamus figurate citra simulationem: aliquando quoque utimur aversione non simulantes. Turneb.

⁵ *Figuratæ controversiæ.]* *Figuratæ controversiæ* sunt, quæ non simplici & recto ductu tractantur, sed per simulationem quandam & insinuationem fiunt, aut per contrarium, per *emphasim*, & ex obliquo. auctor Hermogenes lib. 4. de inventione. Idem.

⁶ *Nam ut eadem.]* Colligit duo genera figurarum, atque ita confutat cavillationem superiorem. nam *figura est in sensu*, si remanet mutatis verbis: *est autem in dictione*, si mutatis verbis perit. Idem.

¹ *Figur-*

cutione mutata: ita & figura sententiæ, plures habere verborum figuras potest. Illa est enim posita in concipienda cogitatione, hæc in enuntianda: sed frequentissime cœunt: ut in hoc, *Nemo jam jam Dolabella neque tui, neque tuorum liberum.* Nam oratio à judice averfa, in sententia: *jam jam, & liberum*, in verbis sunt schemata. Inter plurimos enim, quod sciam, consensus est duas ejus esse partes: *Alq. volas*, id est *mentis*, vel *sensus*, vel *sententiarum*, nam iis omnibus modis dictum est: & *λέξεως*, id est *verborum*, vel dictionis, vel elocutionis vel sermonis, vel orationis. nam & variatur, & nihil refert. Cornelius tamen Celsus adjicit verbis & sententiis ¹ *figuras colorum*: nimia profecto novitatis cupiditate ductus. Nam quis ignorasse eruditum alioqui virum credat colores & sententias sensus esse? Quare sicut omnem orationem, ita figuras quoque versari necesse est in sensu, & in verbis. ² Ut vero natura prius est concipere animo res, quam enuntiare: ita de iis figuris ante loquendum est, quæ ad mentem pertinent: quarum quidem utilitas cum magna, tum multiplex, in nullo non orationis opere vel clarissime elucet. Nam etsi minime videtur pertinere ad *probationem*, qua figura quicque dicatur, facit tamen credibilia quæ dicimus, & in animos judicum qua non observatur irrepit. ³ Namque ut in armorum certamine adversos

¹ *Figuras colorum.*] *Figuras colorum* appellat eas, quibus uti solemus cum probabilem asserimus causam rei alioqui turpis. sed enim *figuræ colorum* referri debent ad *figuras sententiarum*. Idem.

² *Ut vero natura.*] Idem testantur etiam *dialectici*, priores esse animi conceptiones, quoniam verba ad animi conceptiones significandas adhibentur. itaque in tractando sequitur Fab. *naturæ ordinem*. Idem.

³ *Namque ut in armorum certamine, &c. & arma advocare & velut nutu fallere.*] Vulgo *advocare*, male. At *avoca-*

ictus,
re arma eleganter in armorum certamine is dicitur, qui conlato pede cum adversario, si quam corporis partem armis rectam observat, non in eum dirigit ictum, sed aliam se petere velle fingit. tum adversario se aperiente & illam partem nudante, ut in aliam quam peti videt, arma transferat, ibique se protegat; hic avocatis adversarii armis, repente & necopinanter, non eam partem cui minabatur ictum, sed eam quam detexit adversarius; recti *fictionem* etiam hodie vocamus in armorum ludo, ejusmodi armorum avocationem. *Salmasius* 59.

I Et

ictus, ¹ & rectas ac simplices manus cum videre, tum etiam cavere ac propulsare facile est: averſæ tectæque minus sunt observabiles: & aliud ostendisse quam petas, artis est: sic oratio quæ astu caret, pondere, ² mole, & impulsu præliatur: simulant, variantque conatus, in latera atque in terga incurrere datur, & arma advocare, & velut nutu fallere. ³ Jam vero affectus nihil magis ducit. Nam si frons, oculi, manus multum ad motum animorum valent, quanto plus orationis ipsius vultus ad id quod intendimus efficere, compositus? ⁴ Plurimum tamen ad commendationem facit, sive in conciliandis agentis moribus, sive ad promerendum actioni favorem, sive ad levandum varietate fastidium, sive ad quædam vel decentius indicanda vel tutius. Sed antequam quæ cuique rei figura conveniat, ostendam, dicendum est nequaquam eas esse tam multas, quam sunt à quibusdam constitutæ. ⁵ Neque enim me movent nomina illa, quæ fingere utique Græcis promptissimum est. Ante omnia igitur illi qui totidem *figuras* putant, quot *affectus*, repudiandi: non quia *affectus* non sit quædam qualitas mentis: sed quia *figura*, quam non communiter, sed proprie nominamus, non sit simplex rei cujusque enuntiatio. Quapropter in dicendo *irasci*, *dolere*, *misereri*, *timere*, *confidere*, *contemnere*, non sunt figuræ, non magis quam *suadere*, *minari*, *rogare*, *excusare*. Sed fallit parum diligenter intuentes, quod inveniunt in omnibus his locis figuræ, & earum exempla

ex

¹ Et rectas ac simplices manus.] Manus hoc loco appellamus gladiatorum petitiones & ictus, ut exposuimus lib. 5. Appellat autem manus *aversas* & *rectas*, quæ à fronte quasi pugnant; ideoque facile possunt observari & vitari. Vocat *aversas*, quæ ictum inferunt in latera & terga, suntque difficiliore. Turneb.

² Mole.] *Modo*. Pith.

³ Jam vero.] Idem testatur Alex. Numenius, & Aquila Romanus. *si quis enim*, ait, *ex vehementibus oratorum senten-*

tis figuras detraxerit, tota vis jacebit. Turneb.

⁴ Plurimum tamen.] Non solum figuræ sententiarum profunt ad affectus movendos, verum etiam valent ad *modum*. quod positum est in conciliatione & quadam orationis moderatione. *Idem*.

⁵ Neque enim me.] *Authores Græci* infinitas prope sunt persecuti figuræ, ac singulis sua aptaverunt nomina ex copia linguæ: itaque putat Fab. supervacuas ab illis multas inductas figuræ. *Idem*.

I Cicero

ex orationibus excerpunt. Neque enim pars ulla dicendi est, quæ non recipere eas possit. Sed aliud est admittere figuram, aliud figuram esse. Neque enim verebor explicandæ rei gratia frequentiore eisdem nominis repetitionem. Quare dabunt mihi aliquam irascente, deprecante, miserante, figuram, scio: sed non ideo irasce, misereri, deprecari, figura erit. ¹ Cicero quidem omnia orationis lumina in hunc locum congerit, in mediam quandam (ut arbitror) secutus viam: ut nec omnis sermo *schemata* iudicaretur, nec ea sola quæ haberent aliquam remotam ab usu communi fictionem: sed quæ essent clarissima, & ad movendum auditorem valerent plurimum: quem duobus ab eo libris tractatum locum ad literam subieci, ne fraudarem legentes iudicio maximi auctoris. ² In tertio Oratore ita scriptum est: ³ In perpetua autem oratione, cum & conjunctionis lenitatem, & numerorum quam dixerationem tenuerimus, tum est quasi luminibus distinguenda & frequentanda omnis oratio sententiarum atque verborum. ⁴ Nam & commoratio una in re, permultum movet & illustris explanatio, rerumque, quasi gerantur, sub aspectum pene subjectio, quæ & in exponenda re plurimum valet, & ad illustrandum id quod exponitur, & ad amplificandum; ut iis qui audient, illud quod augebimus, quantum efficere oratio poterit, tantum esse videatur: ⁵ & huic contraria, sæpe præcisio est: & ad plus intelligendum quam dixeris significatio: & distincte

¹ Cicero quidem.] Cic. figurarum latius accipit, quam Fabius: strictius tamen quam illi qui sermonem omnem habere putant *schemata*. quicquid enim paulo videtur ornatus, à Cicerone figura dicitur. Idem. Cicero quidem.] In oratore, ex quo hic pleraque ad verbum.

² In tertio.] Locus Cic. de figuris elocutionis ex tertio de Oratore, & ex Orat. ad Brutum ad literam.

³ In perpetua autem.] Coniuncta oratio habere debet commodam iuncturam & collocationem verborum, ne sit ullus hiatus, aut asperitas: præterea

constare debet pedibus, ut cadat numero: ornari postremo debet figurarum concinnitate. Turneb.

⁴ Nam & commoratio.] Commoratio est, cum in firmissimo loco causa diutius moramur, & eodem sæpius regredimur. appellatur *ἐπιμύθη*. Idem.

⁵ Et huic contraria, &c.] Præcisio est, cum id quod dicebamus, repente omitimus. vocatur *παράληψις*, estque contraria *ὑπόψοσις*, quoniam *ὑπόψοσις* copiose rem explicat, quam statim amputat *πρόψοσις*. Idem.

1 Concisa

¹ concisa brevitās, & ² extenuatio: & huic adjuncta *illusio*, à præceptis Cæsaris non abhorrens: & ab re *digressio*: in qua cum fuerit *delectatio*, ³ tum reditus ad rem aptus & concinnus esse debet: *propositioque* quid sis dicturus: & ab eo quod est dictum, ⁴ *sejunctio*: & ⁵ reditus ad propositum, & *iteratio*: & rationis apta *conclusio*: tum augendi minuendive causa veritatis *superlatio*, atque *trajectio*: ⁶ & *rogatio*, atque huic finitima quasi *percontatio*: ⁷ *expositioque* sententiæ suæ: tum illa quæ maxime quasi irrepit in hominum mentes, alia dicentis ac significantis *dissimulatio*, quæ est perjucunda, ⁸ cum in oratione non contentione, sed sermone tractatur: deinde *dubitatio*, tum *distributio*, ⁹ tum *correctio* vel ante vel post quam dixeris, vel cum aliquid à teipso rejicias. *præmunitio* etiam est ad id quod aggrediare: & ¹⁰ *resectio* in alium: *communicatio*, quæ est quasi cum iis ipsis apud quos dicas, *deliberatio*: ¹¹ *morum ac vitæ imitatio*, vel in personis, vel sine illis, magnum quoddam ornamentum orationis, & aptum

1 *Concisa brevitās.*] Appellatur *brachylogia*, cum brevissime aliquid stringimus. continetur etiam *epitrochasmos*. id est, *præcursor*.

2 *Extenuatio.*] Est *ἐξθεσις* id est, *elevatio* & *contemptio*, quando aliquid oratione contemptum efficiamus. *Idem.*

3 *Tum reditus.*] *Ἀποδῶ* appellatur. id est, *regressio*, cum à *digressione* apte redimus ad *propositum*. *Idem.*

4 *Sejunctio.*] *Συνjunctionem* appellat auctor ad Herennium, cum ostendimus quid nobis conveniat cum adversario, quid non conveniat: hic vero significare videtur *transitum*, ut cum ira dicimus, *Hoc absolutum est, sequitur illud dicendum.* *Idem.*

5 *Reditus ad propositum.*] Ut cum tractavimus aliquid quod esset utile causæ, & ab eo redimus ad præcipuum causæ cardinem. *Idem.*

6 *Et rogatio, atque huic finitima, &c.*] Nam *rogatio* est ut noscamus, *percunctatio*

ut alterum arguamus. sic Fab. cap. sequenti. *Idem.*

7 *Expositioque sententiæ.*] Ex oratore ad Brutum intelligere debemus hunc locum de subjectione, quando interrogamus, & postea ponimus sententiam nostram respondendo. *Idem.*

8 *Cum in oratione non contentione, &c.*] *Contentio* forma est orationis acris ad confirmandum aut refellendum. *sermo* autem locutio est vulgaris & remissa, & finitima quotidianæ phrasi. *Idem.*

9 *Tum correctio, &c.*] Duplex est *correctio*: quædam enim rem præcedit, quæ dicitur *προδρομῶς*: quædam sequitur, quæ dicitur *ἐπιδρομῶς*. *Idem.*

10 *Resectio in alium.*] Antea *resectio* simpliciter fiebat, à se removendo: nunc vero fit etiam in alium transferendo. *Idem.*

11 *Morum ac vitæ imitatio.*] *Ἐθοποιία* & *μιμήσις*, quæ dupliciter fit, vel cum nos ipsi mores alicujus effingimus non inducta persona, vel cum personas inducimus. *Idem.*

X *Erroris*

ad animos conciliandos vel maxime, sæpe autem etiam ad commovendos: personarum *ficta inductio*, vel gravissimum lumen augendi: *descriptio*, ¹ *erroris inductio*, ad hilaritatem *impulsio*, *anteoccupatio*: tum duo illa quæ maxime movent, ² *similitudo*, & *exemplum*: ³ *digestio*, *interpellatio*, ⁴ *contentio*, *reticentia*, *commendatio*. ⁵ Vox quædam libera, atque etiam effrenator augendi causa: *iracundia*, *objurgatio*, *promissio*, *deprecatio*, *obsecratio*, ⁶ *declinatio*: brevis à proposito, non ut superior, illa *digressio*, ⁷ *purgatio*, *conciliatio*, *læsis*, *optatio*, atque *execratio*. His fere luminibus illustrant orationem sententia. ⁸ Orationis autem ipsius tanquam armorum est vel ad usum *comminatio* & quasi *petitio*, vel ad venustatem ipsa *tractatio*. Nam & *geminatio* verborum habet interdum vim, leporem aliàs: & ⁹ paululum immutatum verbum atque *flexum*: & ejusdem verbi crebra tum à primo *repetitio*, tum in extremum *conversio*, & in eadem verba impetus, & ¹⁰ *concurso*,

1 *Erroris inductio.*] Α' πο' λ' α' ν' ο' ι' s appellatur, quando ita varie rem tractamus aut obscuramus, ut iudicem in errorem impellamus: quemadmodum iactavit se Cicero in Cluentiana causa *offudisse tenebras oculis iudicum*. Idem.

2 *Similitudo & exemplum.*] Fabius tamen non putat esse *figuras*, ut pleræque alias quas enumerat Cicero: pertinent tamen *similitudo* & *exemplum* ad exornationem, ut docuit lib. 8. Idem.

3 *Digestio.*] Videtur intelligere *μετ' ε' λ' ο' μ' ο' ν' s*, quæ *partitio* sic fit, ut aliud alii tribuentes dispertiamus. sic enim explicat in oratore ad Brutum. Idem.

4 *Contentio.*] Non potest hîc accipi *contentio* pro *oppositione vocum contrariarum*: alioqui *figura* esset *distinctionis*, non *sententia*. est igitur *contentio*, *vehemens & acris oratio*, quæ interdum habet *δει' ο' σ' ι' v*. Idem.

5 *Vox quædam libera.*] Vocatur *παρ' ἑν' ο' σ' ι' α*, id est, *licentia*, cum maiore libertate & quasi *licentia loquendi* utimur. Idem.

6 *Declinatio.*] Ita dixit, ut differret à *digressione*, de qua locutus est. fit autem cum breviter & obiter aliquid præter propositum addimus. Idem.

7 *Purgatio.*] Ab Asconio secunda actione in Verrem appellatur *ἐπιθε' ο' γ' ο' π' ο' σ' ι' s*, cum scilicet aliquid dicimus inclementius, & postea medemur. Esse potest etiam *apologia*, cum purgamus aliquid quod videatur iniquum auditori. Idem.

8 *Orationis autem.*] Significat *figuras orationis* duplicem habere usum, vel ut profint ad augendum & vim rebus adjiaciendam, vel ut profint duntaxat ad ornamentum. Idem.

9 *Paululum immutatum verbum.*] Dicitur *πα' ο' ν' ο' μ' α' σ' ι' s*, à Latinis *agnominatio*, cum alludimus ad nomen positum, immutatione quadam. Idem.

10 *Concurso.*] Potest intelligere *complexionem*, quam appellant *συ' με' τ' ὀ' κ' λ' ω' s*, quæ fit per *repetitionem* & *conversionem*. Idem.

curso, & adjunctio, & ¹ progressio: & ejusdem verbi crebrius positi quædam distinctio, & revocatio verbi: & illa quæ similiter desinunt, aut quæ cadunt similiter, ² aut quæ paribus paria referuntur, aut quæ sunt inter se similia. Est etiam gradatio quædam, & ³ conversio, & verborum concinna transgressio, & contrarium, & dissolutum, & ⁴ declinatio, & reprehensio, & exclamatio, & ⁵ imminutio, & quod in multis casibus ponitur, & quod de singulis rebus propositis ductum refertur ad singula, & ad propositum subjecta ratio, ⁶ & item in distributis supposita ratio, & permissio, & rursus ⁷ alia dubitatio, & improvisum quiddam, & ⁸ dinumeratio, & alia correctio, & ⁹ disputatio, & quod ¹⁰ continuatum, & ¹¹ interruptum, & imago, & sibi ipsi responsio, & ¹² immutatio,

¹ Progressio.] Quando diutius progredimur, repetendo eadem verba. possent tamen hæc dux dictiones habere declarationem verborum superiorum, ut de complexione intelligerentur. Idem.

² Aut quæ paribus.] Appellat in oratione ad Brutum, contrariis relecta contraria, quo pacto hic accipere videtur. nam quia interdum conferuntur quædam non contraria, adjecit, aut quæ sunt inter se similia. Idem.

³ Conversio.] Conversio fit cum verba retrorsum immutantur. appellatur ἀντιστροφή: ut, eripis ut perdas, perdis ut eripias. Idem.

⁴ Declinatio.] Declinatio fit, quando verbum idem varie mutatum & flexum eadem in periodo usurpatur. Idem.

⁵ Imminutio.] De ea intelligi debet, quæ fit verbo. nam alia est quæ fit re, ut dixit in cap. de amplificatione. Idem.

⁶ Et item in distributis.] Figura hæc vocatur ἀναστροφὴ, id est, redditio, quando duo vel tria proponuntur, & singulis ratio sua subicitur. Idem.

⁷ Alia dubitatio.] Nam quædam dubitatio est quæ posita est in re, de qua antea dixit: quædam vero pendet à specie orationis. Idem.

⁸ Dinumeratio.] Cum multa enumeramus quæ uno verbo dicere possumus. posset etiam esse ἀναθροισμός, quia multa congerit & dinumerat, quæ pertinent ad rem unam. Idem.

⁹ Disputatio.] Puto esse eam figuram quam appellant dialogismum, cum scilicet nobiscum disputamus, & quid agendum sit nobiscum dubitamus. posset etiam intelligi ratiocinatio, quæ uniuscujusque dicti rationem reddit. Idem.

¹⁰ Continuatum.] Cornificius appellare videtur continuationem, quando frequentatis continenter verbis sententia explicatur. Idem.

¹¹ Interruptum.] Species est παραπλοῖος, ut apparet ex Bruto, cum scribit, aut cum aliquid prætereunt, cur id faciamus ostendimus. aliqui tamen accipiunt hoc loco eclipsin. Idem.

¹² Et immutatio.] Hunc locum sic explicat Fabius, Et mutatio, quæ si ea est quam Rutilius ἀλλοίωσι vocat, dissimilitudinem ostendit hominum, rerum, factorumque: si latius fiat, figura non est: si angustius, in antitheton cadet. Si vero hæc appellatio significat hypallagen, de ea dictum est. Idem.

¹ Disjun-

& ¹ *disjunctio*, & *ordo*, ² & *relatio*, & *digressio*, & ³ *circumscriptio*. Hæc enim sunt fere, atque horum similia, vel plura etiam esse possunt, quæ sententiis orationem verborumque conformationibus illuminent. Eadem sunt in oratore plurima, non omnia tamen, & paulo magis distincta: quia post orationis & sententiarum figuras, tertium quendam subjecit locum ad alias (ut ipse ait) quasi virtutes dicendi pertinentem: ET reliqua ex collocatione verborum quæ sumuntur quasi lumina, magnum afferunt ornatum orationi. ⁴ Sunt enim similia illis quæ in amplo ornatu scenæ aut fori appellantur *insignia*, non quod sola ornent, sed quod excellent. Eadem ratio est horum quæ sunt *orationis lumina*, & quodammodo *insignia*: cum aut duplicantur iteranturque verba, aut breviter commutata ponuntur: aut ab eodem verbo ducitur sæpius oratio: aut in idem conjicitur, aut in utrumque, ⁵ aut adjungitur idem iteratum, aut ⁶ idem ad extremum refertur: aut continenter unum verbum ⁷ non in eadem sententia ponitur: aut cum similiter vel cadunt verba, vel definiunt: ⁸ aut multis modis contrariis relata contraria: aut cum gradatim sursum versus reditur: aut cum demptis conjunctionibus dissolute plura dicuntur: aut cum aliquid prætereuntes, cur id faciamus ostendimus: aut cum corrigimus nosmetipsos, quasi reprehendentes: aut si est aliqua *exclamatio*

1 *Disjunctio.*] Quæ differt à *dissolutio*, nato *dissolutum* est in *disjunctio* *vocum*, hæc vero figura in *disjunctio* *commatum* & *memborum*. Idem.

2 *Et relatio.*] *Fabius* fatetur se non intelligere quid *Cicero* velit accipi per *relationem*. Forte vero, inquit, intelligit *hypallagen*, aut *epanodum*, aut *antimetabolen*. Idem.

3 *Circumscriptio.*] *Circumscriptionem* *Fabius* interpretatur *comprehensam breviter sententiam vel finitionem*. Idem.

4 *Sunt enim similia, &c.*] *Similitudo* ducta est à muneribus quæ populo dabantur ab ædificibus. nam in illis ludis

theatro addebantur statua & signa ad ornamentum. Idem.

5 *Aut adjungitur idem iteratum.*] *Πλοκῆ* significatur, quæ habet ejusdem verbi iterationem cum quadam interpositione. Idem.

6 *Idem ad extremum refertur.*] Est *epanadiplosis*, cum idem verbum est in initio & in fine. Idem.

7 *Non in eadem sententia.*] Species est hæc *repetitionis*, sed differt à superiore, quia illa fiebat in eadem sententia, hæc in *diversis*. Idem.

8 *Aut multis modis.*] Nam quatuor aut quinque modis fiunt, ut postea docebit *Fabius*. Idem.

exclamatio vel admirationis vel conquestionis : aut cum ejusdem nominis casus sæpius commutantur. Sententiarum ornamenta majora sunt : quibus quia frequentissime Demosthenes utitur, sunt qui putent idcirco ejus eloquentiam maxime esse laudabilem. Enimvero nullus fere ab eo locus sine quadam confirmatione sententiæ edicitur : nec aliud quicquam est dicere, nisi omnes aut certe plerasque aliqua specie illuminare sententias. Quas cum tu optime Brute, teneas, quid attinet nominibus uti, aut exemplis? tantummodo notetur locus. Sic igitur dicet ille quem expetimus, ut verset sæpe multis modis eandem & unam rem, & hæreat in eadem commoreturque sententia. Sæpe etiam ut extenuet aliquid : sæpe ut irrideat : ut declinet à proposito, deflectatque sententiam : ut proponat quid dicturus sit : ut cum transegerit, jam aliquid definiat : ut se ipse revocet : ut quod dixit, iteret : ut argumentum ratione concludat : ut interrogando urgeat : ut rursus quasi ad interrogata sibi ipse respondeat : ut contra ac dicat, accipi & sentiri velit : ut ad dubitet quid potius, aut quo modo dicat : ut dividat in partes : ut aliquid relinquat, ac negligat : ut ante præmuniat : ut in eo ipso in quo reprehendatur, culpam in adversarium conferat : ut sæpe cum iis qui audiunt, nonnunquam etiam cum adversario quasi deliberet : ut hominum mores sermonesque describat : ut muta quædam loquentia inducat : ut ab eo quod agitur, avertat animos : ut sæpe in hilaritatem risumve convertat : ut ante occupet quod videat opponi : ut comparet similitudines : ut utatur exemplis : ut aliud alii tribuens dispertiat : ut interpellatorem coërceat : ut aliquid reticere se dicat : ut denuntiet quid caveat : ut liberius quid audeat : ut irascatur etiam : ut objurget aliquando : ut deprecetur :

1 *Jam aliquid definiat.*] Quidam hic intelligunt *δοξολογία* quendam, cum aliquid proposuimus quod postea definitione explicamus. posset tamen intelligi *sententia*, qua de loco jam à nobis

tractato quid sentiamus, breviter explicamus. *Idem.*

2 *Ut aliquid se rejicere dicat.*] Videtur tamen significari *reticentia*, quam appellant *apostrophein*. *Idem.*

I U

cetur: ¹ ut supplicet: ² ut medeatur: ut à proposito declinet aliquantulum: ut optet: ut excretur: ut fiat iis apud quos dicet, familiaris: atque alias etiam dicendi quasi virtutes sequatur: brevitatem, si res petet: sæpe etiam rem dicendo subjiciet oculis, sæpe supra feret quam fieri possit: significatio sæpe erit major quam oratio: sæpe hilaritas, sæpe vitæ naturarumque imitatio. Hoc in genere (nam quasi silvam vides) omnis eluceat oportet eloquentiæ magnitudo.

¹ *Ut supplicet.*] Plus est supplicare quam deprecari. fit autem ab oratore cum *supplex* obtestatur iudices & obsecrat. *Idem.*

² *Ut medeatur.*] Intelligunt multi *επιθεωρησειν*, sed videtur potius significari *apologia*, qua aliquid purgamus: ideoque antea Cicero *purgationem* appellabat. *Idem.*

C A P. I I.

De figuris sententiarum.

ERgo cui latius complecti conformationes verborum ac ² sententiarum placuerit, habet quod sequatur: nec affirmare ausim quicquam esse melius, sed hæc ad propositi mei rationem legat. Nam mihi de his sententiarum figuris dicere in animo est, quæ ab illo simplici modo indicandi recedunt: quod idem multis doctissimis viris video placuisse. Omnia tamen illa etiam quæ sunt alterius modi lumina, adeo sunt virtutes orationis, ut sine his nulla intelligi vere possit oratio. ¹ Nam quo modo iudex doceri potest, si desit illustris *explanatio*, *propositio*, *promissio*, *finitio*, *sejunctio*, *expositio sententia suæ*, *rationis apta conclusio*, *præmunitio*, *similitudo*, *exemplum*, *digestio*, *distributio*, *interpellatio*, *interpellantis*

¹ Si quis sententiam *Ciceronis* velit sequi, non magnopere refragabitur *Fabius*: existimat tamen esse figuram, cum variatur simplex enunciandi & indicandi ratio. *Turneb.*

¹ *Nam quomodo.*] A tribus officiis oratoris ostendit orationem maxime

ornari illis luminibus, quæ à *Cicerone* ponuntur inter *figuras*, esse tamen *figuras* negat. quanquam inter *Ciceronem* & *Fabium* magis de vocabulo pugna est, quam de re, alter enim *vocabulum* fundit, alter contrahit. *Idem.*

lantis coërcitio, contentio, purgatio, lesio? ¹ Quid vero agit omnino eloquentia detractis amplificandi minuendique rationibus? Quarum prior desiderat illam plusquam dixeris significationem, id est ἐμφασις & superlationem veritatis, & trajectionem: hæc altera extenuationem, deprecationemque. ² Qui affectus erunt vel concitati detracta voce libera, effrenatiore iracundia, objurgatione, optatione, execratione? vel illi mitiores, nisi adjuvantur commendatione, conciliatione, ad hilaritatem impulsione? Quæ delectatio, aut quod mediocriter saltem docti hominis indicium, nisi alia repetitione, alia commoratione infigere: digredi à re, & redire ad propositum suum scierit: remove-re à se, in alium trajicere: quæ relinquenda, quæ contemnenda sint, judicare? Motus est in his orationis atque actus: quibus detractis jacet, & velut agitante corpus spiritu caret. Quæ cum adesse debent, tum disponenda atque varianda sunt, ut auditorem, quod in fidibus fieri videmus, omni sono mulceant. Verum ea plerunque recta sunt, nec se fingunt, sed confitentur. Admittunt autem (ut dixi) figuræ: quod vel ex proximo doceri potest. Quid enim tam commune, quam interrogare, vel percontari? Nam utroque utimur indifferenter, cum alterum noscendi, alterum arguendi gratia videatur adhiberi. At ea res utrocunque modo dicatur, etiam multiplex habet schema. Incipiamus enim ab iis quibus acrior ac vehementior fit probatio, quod primo loco posuimus. ³ Simplex est sic rogare,

Sed vos qui tandem? quibus aut venistis ab oris?

Figuratum autem, quoties non sciscitandi gratia assumitur, sed instandi: *Quid enim tuus ille Tubero, districtus in acie*
Phar-

¹ *Quid vero agit.*] Proprium est oratoris amplificare & minuire, ut docuit Fabius lib. 3. at plurima Ciceronis lumina ad eas pertinent virtutes. Idem.

² *Qui affectus.*] Affectus sunt duplices, πείδη & ἡδὴ. his conducit ratio ornamentorum à Cicerone positorum. Idem

³ *Simplex est sic rogare.*] Græci, ut Alexander Numenius, duas interrogationis species ponunt, ἐρώτησις, id est interrogatum, & πύσισις, id est, *quæsitum*. priori satisfieri potest una responsione, posteriori non nisi pluribus. Idem.

Pharsalica gladius agebat? &, Quousque tandem abutere Catilina patientia nostra? &, Patere tua consilia non sentis? & totus denique hic locus. Quanto enim magis ardet, quam si diceretur, Diu abuteris patientia nostra: &, Patent tua consilia. Interrogamus etiam quod negari non possit: Dixitne tandem caussam C. Fidiculanus Falcula? At ubi respondendi difficilis est ratio, ut vulgo uti solemus, Quo modo? qui fieri potest? ¹ Aut invidiæ gratia, ut Medea apud Senecam, Quas peti terras jubes? Aut miserationis, ut Sinon apud Virgilium,

*Heu qua me tellus, inquit, qua me æquora possunt
Accipere?*

Aut instandi, & auferendæ dissimulationis: ut Asinius, *Audisne? furiosum, inquam, ² non inofficiosum testamentum reprehendimus.* Totum hoc plenum est varietatis: nam & indignationi convenit,

-- *Et quisquam numen Junonis adoret?*

Et admirationi,

-- *Quid non mortalia pectora cogis*

Auri sacra fames? ---

Est interim acrius imperandi genus,

Non arma expedient, totaque ex urbe sequentur?

Et ipsi nosmet rogamus: quale est illud Terentianum,

Quid igitur faciam?

Est aliqua etiam in respondendo figura, cum aliud interroganti, ad aliud, quia sic utilius sit, occurritur, tum augendi criminis gratia, ut testis in reum rogatus, an ab reo fustibus vapulasset, *Et innocens, inquit.* ³ Tum declinandi, quod est frequentissimum: *Quæro an occideris hominem, respondetur,*

¹ *Aut invidiæ gratia.] Erasmus quoque in Ecclesiaste, interrogationem ait esse maxime aptam affectibus exprimendis & augendis, ut miserationi, invidia, ira. Idem.*

² *Non inofficiosum test.] Inofficiosum testamentum est, quod minime factum est ex officio pietatis: ut cum à patre*

pretermissi sunt liberi. at furiosum est testamentum, quod est à furioso factum, qui testari non potest. Idem.

³ *Tum declinandi.] Hanc speciem appellat Alexander Num. ἀντιπροσώπων, quando adversus id quod opponitur, aliud objicimus ad defensionem. Idem.*

detur, *Latronem*. An fundum occupaveris, respondetur, *meum*. Ut confessionem præcedat defensio: ut apud Virgilium in *Bucolicis* dicenti,

Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum

Excipere insidiis? ---
occurritur,

An mihi cantando victus non redderet ille?

Cui est confinis dissimulatio, non alibi quam in risu posita, ideoque tractata suo loco. Nam ferio si fiat, pro confessione est. ¹Cæterum & interrogandi seipsum, & respondendi sibi, solent esse non ingratae vices: ut Cicero pro *Ligario*, *Apud quem igitur hoc dico? nempe apud eum, qui cum hoc sciret, tamen me antequam vidit, reipublica reddidit*. Aliter pro *Cælio* ficta interrogatio est. dicet aliquis, *Hæc igitur est tua disciplina? sic tu instituis adolescentes?* & totus locus. Deinde, *Ego si quis iudices, hoc robore animi, atque hac indole virtutis ac continentia fuit, &c.* ² Cui diversum est, cum alium rogaveris, non expectare, responsum, & statim subjicere: *Domus tibi deerat? at habebas. pecunia superabit? at egebas*. Quod schema quidam per ³ *subjectionem* vocant. Fit & comparatione: *Uter igitur facilius sua sententia rationem redderet?* Et aliis modis tum brevius, tum latius, tum de una re, tum de pluribus. ⁴ Mire vero in caussis valet *presumptio*, quæ *ᾠληψις* dicitur, cum id quod objici potest, occupamus. Id neque in aliis partibus parum est, & præcipue proœmio convenit. Sed quanquam generis unius, diversas tamen species habet.

Est

¹ *Cæterum & inter.*] Cum nos interrogamus, & statim dicti cujusque rationem subjicimus, *ratiocinatio* vocatur à Cornificio, à Rufiniano vero *apophasis*, quæ quidem est species hujus interrogationis. *Idem*.

² *Cui diversum est.*] Hanc *interrogationem* appellant *Græci* *ἑσθησις*, unde *Latini* verterunt per *subjectionem*, ut *Cornificius* lib. 4. Quod enim potest ab adversario dici, objicimus per in-

terrogationem, & solvimus. *Idem*.

³ *Subjectionem.*] Alii, *Suggestionem*.

⁴ *Mire vero, &c.*] Hanc figuram vocat *Alexander Numenius* *procatalepsi*, ac nonnulli quoque ex *Latinis*. habet locum in *proœmiis*: nam efficit exordium ex *hypolepsi*, ut ait *Hermogenes*. in aliis quoque partibus multum prodest, ac videtur (ut inquit *Rodolphus*) *efficere novum exordium*. *Turneb.*

I Est

¹ Est enim quædam *præmunitio*, qualis Ciceronis contra Q. Cæcilium, *quod ad accusandum descendat, qui semper defenderit.* Quædam *confessio*: ut pro Rabirio Posthumo, *quem sua quoque sententia reprehendendum fatetur, quod pecuniam regi crediderit.* Quædam *prædictio*: ut, *Dicam enim non augendi criminis gratia.* Quædam *emendatio*: ut, *Rogo ignoscatis mihi, si longius sum euectus.* Frequentissima *præparatio*, cum pluribus verbis, vel quare facturi quid simus, vel quare fecerimus, dici solet. Verborum quoque vis ac proprietas confirmatur vel præsumptione: *Quanquam illa non pœna, sed prohibitio sceleris fuit.* Aut reprehensione: *Cives, cives, inquam, si hoc eos appellari nomine fas est.* ² Affert aliquam fidem veritatis & *dubitatio*, cum simulamus quærere nos unde incipiendum, ubi desinendum, quid potissimum dicendum, an omnino dicendum sit: cujusmodi exemplis plena sunt omnia: sed unum interim sufficit, *Equidem quod ad me attinet, quo me veritam nescio. Negem fuisse infamiam iudicii corrupti? &c.* Hoc etiam in præteritum valet: nam & dubitasse nos fingimus. ³ A quo schemate non procul abest illa quæ dicitur *communicatio*, cum aut ipsos adversarios consulimus, ut Domitius Afer pro Cloantilla, *At illa nescit trepida quid liceat fœmina, quid conjugem deceat: forte vos in illa solitudine obvios casus miseræ mulieri obtulit: tu frater, vos paterni amici: quod consilium datis?* Aut cum iudicibus quasi deliberamus, quod est frequentissimum, *Quid suadetis? & Vos interrogo, quid tandem fieri oportuit?* ut Cato: *Cedo, si vos in eo loco essetis, quid aliud fecissetis?* Et alibi, *Communem rem agi putatote, ac vos huic rei præpositos esse.* ⁴ Sed nonnunquam communicantes aliquid

¹ Est enim quædam.] Rufinians hanc appellat *procatasceuen*, quando præparatione aliqua præmunimus locum duriorum, ut irrepamus in animos auditorum. *Idem.*

² Affert aliquam fidem.] *Dubitatio* non solum valet ad *veritatem*, ut inquit Erasim. sed etiam ad *affectum*. figura est cum habet quandam simulationem: ea

dicitur à quibusdam *ἀπορία* & *ἀγνοία*. *Idem.*

³ A quo schemate.] *Communicatio* ἀναγκαστικῆς appellatur à Rufiniano. Valet autem imprimis ad probandum, quoniam ita causæ confidimus ut non dubitemus vel ab adversario vel à iudicibus petere consilium. *Idem.*

⁴ Sed nonnunquam, &c.] Hanc figuram

aliquid inexpectatum subjungimus, quod & per se schema est: ut in Verrem Cicero, *Quid deinde? quid censetis? furtum fortasse, aut prædam aliquam?* Deinde cum diu suspenderit judicum animos, subjecit quod multo esset improbius. Hoc Celsus ¹ *sustentationem* vocat. Est autem duplex: nam contra frequenter cum expectationem gravissimorum fecimus, ad aliquid quod sit leve, aut nullo modo criminofum, descendimus. Sed quia non tantum per communicationem fieri solet, *ἄγιδδξον* alii nominaverunt, id est *inopinatum*: Illis non accedo, qui schema esse existimant, etiam si quid nobis ipsis dicamus inexpectatum accidisse: ut Pollio, *Nunquam fore credidi, judices, ut reo Scauro, ne quid in ejus judicio gratia valeret precarer.* ² Pene idem fons est illius quam *permissionem* vocant, qui communicationis: cum aliqua ipsis iudicibus relinquimus æstimanda, aliqua nonnunquam adversariis quoque: ut Calvus Vatinius: *Perfrica frontem, & dic te digniorem qui prætor fieres, quam Catonem.*

³ Quæ vero sunt augendis affectibus accommodatæ figuræ, constant maxime *simulatione*. Namque & irasci nos, & gaudere, & timere, & admirari, & dolere, & indignari, & optare, quæque sunt similia his, fingimus. Inde sunt illa, *Liberatus sum. Respiravi. & Bene habet. & Quæ amentia est hæc? & O tempora, ô mores. O miserum me.* consumptis enim lacrymis infixus tamen pectori hæret dolor. &

-- *Magna nunc hiscite terra.*

⁴ Quod *exclamationem* quidam vocant, ponuntque inter figuras

ram appellat Rufinianus *ἄπροσδοξον*, alii, *ἄπροσδοξον* appellant & *ἄπροσδοξον*. id est, *inopinatum & inexpectatum*, quando quædam dicimus, deinde aliud præter opinionem inferimus. *Idem.*

¹ *Sustentationem.*] Quasi verteret dictionem græcam *ἔπρωξω*, attamen *sustentatio* plerunque fit sine communicatione. *Idem.*

² *Pene idem fons est.*] Rutilius hanc figuram appellat *epitopen*, sed suspicor

mendosum esse codicem, legendumque *epitopen*: sic enim vocatur à Rufiniano. fit autem plerunque per quandam *simulationem & ironiam*. *Idem.*

³ *Quæ vero sunt.*] Persequitur membra divisionis superioris. nam hætenus dixit de *figuris* quæ ad docendum valent, nunc de illis quæ ad movendum. ut oratoris officiis accommodet *figuras*. *Idem.*

⁴ *Quod exclamationem.*] Appellant Græci *ἐκφώνησιν*, Latini *exclamationem*. valet

guras orationis. Hæc quoties vera sunt, non sunt in ea forma de qua nunc loquimur. Assimulata, & arte composita, procul dubio *schemata* sunt existimanda. ¹ Quod idem dictum sit de oratione libera, quam ² Cornificius *licentiam* vocat, Græci *παρρησίαν*. Quid enim minus figuratum, quam vera libertas? Sed frequenter sub hac facie latet adulatio. Nam Cicero cum dicit pro Ligario, *Suscepto bello, Cæsar, gesto jam etiam ex parte magna, nulla vi coactus, consilio ac voluntate mea ad ea arma profectus sum, quæ erant contra te sumpta:* non solum ad utilitatem Ligarii respicit, sed magis laudare victoris clementiam non potest. In illa vero sententia, *Quid autem aliud egimus Tubero, nisi ut quod hic potest, nos possemus?* admirabiliter utriusque partis facit bonam causam: sed hoc eum demeretur, cujus mala fuerat. ³ Illa adhuc audaciora, & majorum (ut Cicero existimat) laterum, fictiones personarum, quæ *ωθσωποποιίας* dicuntur. Mire namque cum variant orationem, tum excitant. His & adversariorum, cogitationes velut, secum loquentium protrahimus: quæ tamen ita demum à fide non abhorrent, si ea locutos finxerimus, quæ cogitasse eos non sit absurdum: & nostros cum aliis sermones, & aliorum inter se credibiliter introducimus: & *suadendo, objurgando, querendo, laudando, miserando*, personas idoneas damus. Quin deducere deos in hoc genere dicendi, & inferos excitare, concessum est. Urbes etiam populique vocem accipiunt. Ac sunt quidam qui has demum *ωθσωποποιίας* dicant, in quibus & corpora & verba fingimus. Sermones hominum assimilatos dicere

Διὰ λόγους

valet autem potissimum ad duos affectus, indignationem & miserationem. Idem. *Quod exclamationem quidam vocant, &c.* Vide Vossium Institut. Orator. lib. 5. pag. 416.

¹ Quod idem dictum sit de oratione libera, &c.] Male negat *παρρησίαν* inter *schemata* referri debere. Vide Vossium Institut. Orator. lib. 5. p. 414.

² Cornificius *licentiam*.] Vel ex hoc

loco colligere possumus rhetoricam ad Herennium esse *Cornificii*, non *Ciceronis*. Cic. enim *παρρησίαν* semper vertit *orationem liberam*, & *voce liberam*, in *perfecto oratore* & ad *Q. Fratrem. Cornificius* lib. 4. *licentiam*. Turneb.

³ Illa adhuc.] *Prosopopœiam* vertit *Rutilius*, *persona effictionem*: *Rufinianus* vero *deformationem* & *configurationem*: *Cornificius* l. 4. *conformationem*. Idem.

1 *Quam,*

Ἀλόγως malunt, ¹ quam, quod Latinorum quidam dixerunt, *sermocinationem*. Ego jam recepto more utrunque eodem modo, appellavi. Nam certe sermo fingi non potest, ut non personæ sermo fingatur. Sed in his quæ natura non permittit, hoc modo mollior fit figura: *Etenim si mecum patria, quæ mihi vita mea multo est charior, si cuncta Italia, si omnis respublica sic loquatur, M. Fulli quid agis? Illud audacius genus, Quæ tecum Catilina sic agit, & quodammodo tacita loquitur, Nullum jam aliquot annis facinus extitit, nisi per te.* ² Commode etiam aut nobis aliquas ante oculos esse rerum personarumve imagines fingimus, aut eadem adversariis aut iudicibus non accidere miramur: qualia sunt, *Videtur mihi, & Nonne videtur tibi?* Sed magna quædam vis eloquentiæ desideratur. Falsa enim & incredibilia natura necesse est aut magis moveant, quia supra vera sunt: aut pro vanis accipiantur, quia vera non sunt. Ut dicta autem quædam, ita scripta quoque fingi solent: ³ quod facit Asinius pro Liburnia, *Mater mea, quæ mihi tum charissima, tum dulcissima fuit, quæque mihi vixit, bisque eadem die mihi vitam dedit, & reliqua: deinde, exheres esto.* Hæc cum per se figura est, tum duplicatur, quoties, sicut in hac causa, ad imitationem alterius scripturæ componitur. Nam contra recitabatur testamentum, *P. Novanius Gallio, qui ego omnino meritissimo volo & debeo pro ejus animi in me summa voluntate, & adjectis deinceps aliis, heres esto.* ⁴ Incipit esse quodammodo παραδία, quod nomen

¹ *Quam, quod Latinorum quidam, &c.]* Corfinicius tamen lib. 4. *dialogum* interpretatus est *sermocinationem*, quando quosdam verisimiliter loquentes inducimus. appellant alii Ἀλόγοις. Idem.

² *Commode etiam.]* Est etiam alia species *προσομοίαι*, quæ quadam simulatione imaginem quandam fingit: ut si diceres, *videtur mihi videre hominem in sep. tumultuantem ac sacrificantem*, & reliqua subderes. Idem.

³ *Quod facit Asinius.]* In hac scri-

ptura est imitatio illius formulæ quæ scribi solet in *testamentis*. nam qui heres instituitur, à testatore fere laudatur. adde quod *imitatio est scriptorum adversarii, quæ recitaverat in testamento.* Idem.

⁴ *Incipit esse.]* Suidas παραδίαν appellat, cum è *Tragœdia* sermo transfertur in *Comœdiam*: quo pacto *Aristophanes* pleraque carmina Euripidis ludendo usurpavit. Eodem quoque modo sermo factus ad alterius sermonis imitationem, dicitur *parodia*: vis tamen pendet

nomen ductum à canticis ad aliorum similitudinem modulatis, abusive etiam in versificatione ac sermonum imitatione servatur. Sed ¹ formas quoque fingimus sæpe: ut *famam* Virgilius: ut *voluptatem ac virtutem* (quemadmodum à ² Xenophonte traditur) Prodicus, ut mortem ac vitam, quas contententes in Satyra tradit Ennius. Est & incertæ personæ ficta oratio. *Hic aliquis*. &, *Dicat aliquis*. Est & jactus sine persona sermo, ³ *Hic Dolopum manus, hic sevens tendebat Achilles*. Quod fit mixtura figurarum, cum *εὐσωποποιία* accedit illa quæ est orationis per detractionem: detractum est enim quis diceret. ⁴ Vertitur enim interim *εὐσωποποιία* in speciem narrandi. Unde & apud historicos reperiuntur ⁵ obliquæ allocutiones: ut in T. Livii primo statim libro, *Urbes quoque, ut cætera, ex infimo nasci: deinde quas sua virtus ac dii juvent, magnas opes sibi, magnumque nomen facere*. ⁶ Aversus quoque à iudice sermo, qui dicitur *ἀποστροφή*, mire movet, sive adversarios invadimus, *Quid enim tuus ille Tubero in acie Pharsalica gladius agebat?* Sive ad invocationem aliquam convertimur, *Vos enim jam ego Albani tumuli atque luci*. Sive ad invidiosam implorationem, ⁷ *O leges Porcia, legesque Sempronia*. Sed illa quoque vocatur *aversio*, quæ

pendet à canticis quæ fiebant ad aliorum similitudinem. *Idem*.

¹ *Formas quoque fingimus.*] *Fingere formas* appellat Fab. quum rebus inanimatis tribuimus quasi quoddam corpus, ut animalia quædam efficere videamur. *Idem*.

² *Xenophonte.*] Xenophon refert Prodicum finxisse *voluptatem & virtutem* cum Hercule collocatis in solitudine, quarum altera ad fortitudinem invitaret, altera ad inertiam. *Idem*.

³ *Hic Dolopum manus.*] Hoc versu Virgil. est imitatus sermonem Trojanorum, Græcorum castra aspicientium. neque tamen sermonem hunc attribuit ulli personæ. *Idem*.

⁴ *Vertitur interim.*] Obliquæ allocutiones peculiare sunt historicis: itaque

Trogus apud Justinum, Livium & Sallustium reprehendit, quod illis rarius utantur. sunt autem cum narrationem continuat historicus, ita tamen ut videatur obiter inducere personam loquentem, cujus orationem imitatur. *Idem*.

⁵ *Obliquæ allocutiones.*] Justin. 1. 38. Pompeius Trogus in Livio & Sallustio reprehendit quod conciones directas pro sua oratione, pro obliquis operi suo inferenda historiae modum excesserint. *Pith.*

⁶ *Aversus à iudice sermo, qui dicitur ἀποστροφή.*] Imperfecte Apostrophen definit. Vide Vossium Instit. Orator. lib. 5. pag. 363.

⁷ *O leges.*] Pro Sestio, & A. C. in Verrem 7.

I Quæ

à proposita quæstione abducit audientem :

Non ego cum Danais Trojanam excindere gentem

Aulide juravi. ---

Quod fit & multis & variis figuris, cum aut aliud expectasse nos, aut majus aliquid timuisse simulamus, aut plus videri posse ignorantibus : ¹ quale est proœmium pro Cœlio. Illa vero (ut ait Cicero) sub oculos subjectio, tum fieri solet, cum res non gesta indicatur, sed ut sit gesta ostenditur : nec universa, sed per partes : quem locum proximo libro subjecimus evidentix : & Celsus hoc nomen isti figuræ dedit. ab aliis ² ὑποτύπωσις dicitur proposita quædam forma rerum ita expressa verbis, ut cerni potius videatur, quam audiri: *Ipse inflammatus scelere ac furore, in forum venit. ardebant oculi: toto ex ore crudelitas emicabat.* Nec solum quæ facta sint aut fiant, sed etiam quæ futura sint, aut futura fuerint, imaginamur. Mire tractat hæc Cicero pro Milone, quæ facturum fuerat Clodius si præturam invasisset. ³ Sed hæc quidem translatio temporum, quæ proprie μεταστάσεως dicitur, in Ἀγορεύσειν verecundior apud priores fuit. Proponerent enim talia, *Credite vos intueri*, ut Cicero, *Hæc quæ non vidistis oculis, animis cernere potestis.* Novi vero, & præcipue declamatores, audacius, nec mehercule sine motu quodam imaginantur : ⁴ ut Seneca in controversia, cujus summa est quod pater filium & novercam, inducente altero filio, in adulterio deprehensos occidit. *Duc, sequor: accipe hanc senilem manum, & quocunque vis imprime.* Et paulo post, *Aspice, inquit, quod diu non credidisti. Ego vero non video, nox oboritur, & crassa caligo.* Habet hæc

1. *Quale est proœmium pro Cœlio.*] Fingit enim initio crimen esse grave, cum iudicium fiat ludis publicis : deinde paulatim extenuat, ostenditque iudicium pendere ab adulterio Clodia. ita à magnitudine sceleris avocatur animos iudicum. Turneb.

2. ὑποτύπωσις.] Ab Alexandro Numenno & Aquila Romano διατύπωσις. Latine vertitur à quibusdam deformatio

hæc & descriptio. Idem.

3. *Sed hæc quidem, &c.*] Alexander Numenius aliter accipit μεταστάσιν, quando scilicet à nobis alio rem transferimus. Quidam alius ex Latinis appellat μεταστάσιν, quum mutatur oratio à persona loquentis ad aliam personam. Fab. μεταστάσιν appellat translationem temporum ad imaginem futuri. Idem.

4. *Ut Seneca.*] Hæc declam. non extat.

hæc figura manifestius aliquid. Non enim narrari res, sed agi videtur. Locorum quoque dilucida & significans descriptio, eidem virtuti assignatur à quibusdam: alii ¹ τοπογραφίαν dicunt. Εἰρωνείαν inveni qui *dissimulationem* vocarent: quo nomine, quia parum totius hujus figuræ videntur vires ostendi, nimirum sicut in plerisque, Græca erimus appellatione contenti. ² Igitur εἰρωνεία quæ est *schema*, ab illa quæ est tropus, genere ipso nihil admodum distat: (in utroque enim *contrarium ei quod dicitur*, intelligendum est) species vero prudentius intuenti, diversas esse facile est deprehendere. Primum, quod tropus apertior est: & quanquam aliud dicit ac sentit, non tamen aliud simulat. Nam & omnia circa fere recta sunt: ut illud in Catilinam, *A quo repudiatus, ad sodalem tuum virum optimum M. Marcellum demigrasti*. In duobus demum verbis est ironia, ergo etiam brevior est tropus. At in figura, totius voluntatis fictio est, apparens magis quam confessâ: ut illic verba sint verbis diversa, hîc sermonis sensus voci: & tota interim causæ confirmatio, tum etiam vita universa, ironiam habere videtur, qualis est visa Socratis. Nam ideo dictus εἰρων, id est agens imperitum, & admirator aliorum tanquam sapientium: ut quemadmodum ἀληγορίαν facit continua μετὰ φροσύνη, sic hoc schema faciat troporum ille contextus. ³ Quædam vero genera hujus figuræ nullam cum tropis habent societatem: ut illa statim prima quæ dicitur à negando, quam nonnulli vocant ἀποφασίαν, *Non agam tecum jure summo, non dicam, quod forsi-*

tan

¹ Topographiam.] Servius libro primo Æneidos *topothesium* ponit & *topographiam*, appellatque *topographiam* descriptionem veri loci, *topothesium* vero descriptionem loci non veri, sed ficti. Idem.

² Igitur εἰρωνεία.] Ironia cum tropus est, est in paucioribus verbis: cum autem *figura* est, in verborum multorum continuatione, atque adeo in tota sententia. Idem.

³ Quædam vero.] Quam appellat Fab. *apophasin*. id est, *negationem*, appellat Alexander Nam. *paralepsin*, cum scilicet fingimus aliquid nos omittere quod tamen dicimus. alioqui apud Rufinianum *apophasis* figura est qua interrogamus nos ipsos, statimque respondemus & rationem reddimus: aut cum ab aliis interrogati idem facimus. etenim *apophasis* significat *responsionem* & *sententiam* apud Græcos. Idem.

Septim.

tan obtinerem. & ; Quid ego istius decreta, quid rapinas, quid hereditatum possessiones datas, quid ereptas proferam? & ; Mitto illam primam libidinis injuriam. & ; Ne illa quidem testimonia recito, quæ dicta sunt de sestertiis ¹ septingentis millibus. & ; Possum dicere. Quibus generibus per totas interim quæstiones decurrimus. ut Cicero, Hoc ego si sic agerem tanquam mihi crimen esset diluendum, hæc pluribus dicerem. ² Εἰπαυεῖα est & cum similes imperantibus vel mittentibus sumus,

I sequere Italiam ventis.

³ Et cum ea quæ nolumus videri adversariis esse, concedimus eis. Id acrius fit cum eadem in nobis sunt, & in adversario non sunt:

--- Meque timoris

Argue tu Drance, quando tot cadis acervos
Teucrorum tua dextra dedit.

Quod idem contra valet, cum aut ea quæ à nobis absunt, aut etiam quæ in adversarios recidunt, quasi fateamur.

⁴ Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter.

Nec in personis tantum, sed & in rebus versatur hæc contraria dicendi quam quæ intelligi velis ratio, ⁵ ut totum pro Quint. Ligario proæmium, ⁶ & illæ elevationes, Videlicet, O dii boni.

Scilicet is superis labor est.

Et ille pro Oppio locus, O amorem mirum! O benevolentiam singularem! Non procul autem absunt ab hac simulatione tres inter se similes, Confessio nihil nocitura: qualis est, Ha-

bes

¹ Septingentis.] Sexcentis. Pith.

² Εἰπαυεῖα est & cum, &c.] Ironiæ species est epitrope, quum figurate aliquid concedimus, quod tamen factum nolumus. ea appellari potest permissio. Turneb.

³ Et cum ea.] Appellatur hæc species ebleuasmus. id est, subsannatio, cum personam aliquam vafra & amarulenta irrisione illudimus. Idem.

⁴ Me duce Davd.] Verba sunt Junonis adversus Venerem. Venus autem exci-

tarat Paridem ad Helenam rapiendam: ergo hæc verba recidunt in caput Veneris. Idem.

⁵ Ut totum pro Q. Ligario, &c.] Fabius hujus ironiæ divitiæ meminit lib. 4. quanquam Georgius Trapezuntius ironiam esse negat, & hac in re Fabium reprehendit. sed ipse fallitur. Idem.

⁶ Et illæ elevationes.] Hæc figura appellatur δεισιπυῖς, quæ habet elevationem personarum & rerum cum irrisione. Idem.

bes igitur Tubero quod est accusatori maxime optandum, confitentem reum. ¹ Et concessio, cum aliquid etiam iniquum vide-
mur causæ fiducia pati: Metum virgarum navarchus nobilissimæ
civitatis pretio redemit: humanum est. Et pro Cluentio de in-
vidia, Dominetur in concionibus, jaceat in judiciis. Tertia ² con-
sensio: ut pro eodem, *judicium esse corruptum*. Hæc eviden-
tior figura est, cum alicui rei assentimur quæ est futura pro
nobis: verum id accidere sine adversarii vitio non potest.
Quædam etiam velut laudamus, ut Cicero in Verrem circa
crimen ³ Apollonii Drepanitani, *Gaudeo etiam si quid ab eo
abstulisti: & abs te nihil rectius factum esse dico*. Interim auge-
mus crimina quæ ex facili aut diluere possumus, aut negare,
quod est frequentius, quam ut exemplum desideret. ⁴ In-
terim hoc ipso fidem detrahimus illis, quod sint tam gra-
via: ut pro Roscio Cicero, cum immanitatem parricidii,
quanquam per se manifestam, tamen etiam vi orationis ex-
aggerat. ⁵ *Ἀποσιώπησις*, quam idem Cicero *reticentiam*, Celsus
obtritentiam, nonnulli *interruptionem* appellant, & ipsa osten-
dit affectus vel iræ, ut,

Quos ego: sed motos præstat componere fluctus.

Vel sollicitudinis, & quasi religionis: *An hujus ille legis, quam
Clodius à se inventam gloriatur, mentionem facere ausus esset vivo
Milone, ne dicam consule? de nostrum enim omnium: non audeo
totum dicere*. Cui simile est in procæmio pro Ctesiphonte
Demosthenis. Vel alio transeundi gratia: *Communis autem,
Tamen si,*

¹ *Et concessio, &c.*] Hunc locum sic interpretatur Erasmus in Ecclesiaste: *concessio est utilis, quæ nihil habet in se detrimenti*, præterea cum aliquid concedimus alio sensu quam objicitur. *Idem.*

² *Consensio.*] Hanc appellat *permissio-nem* Cornificius lib. 4. est autem admodum vicina *confessione* & *consensione*. *Idem.* *Consensio.*] Alii, *Confessio*.

³ *Apollonii Drepanitani.*] Sic appellabatur à Drepano oppido Siciliae, qui locus nomen habet à falce Saturni quæ in ea loca decidit. *Tyrrel.*

⁴ *Interim hoc ipso.*] Quanquam regula est *amplificationis*, ne augeamus ante probationem, defensor tamen nonnunquam ex magnitudine sceleris objecti per *amplificationem* detrahit fidem statim initio: quemadmodum Cicero fecit auge-
ndo parricidium, ut ostenderet non esse perpetratum à Roscio. *Idem.*

⁵ *Ἀποσιώπησις.*] Hæc figura est finitima *eclipsi*: hoc tam en differt, quod ad affectum fere adhibetur, & plura sub-
tinet. eam videtur appellasse præcisionem Cornificius. *Idem.*

Tametsi, ignoscite mihi, iudices. ¹ In quo est & illa (si tamen inter schemata numerari debet, cum aliis etiam pars causæ videatur) digressio: Abit enim causæ in laudes Cn. Pompeii. Id quod fieri etiam sine ἀποσιωπήσῃ potuit. Nam brevior illa, ut ait Cicero, à re digressio, plurimis fit modis. Sed hæc exempli gratia sufficient. ² Tum Cajus Varenus, is qui à familia Anchariana occisus est: hoc quaeso, iudices, diligenter attendite. Et pro Milone, Et aspexit me illis quidem oculis quibus tum solebat, cum omnibus omnia minabatur. ³ Est alia non quidem reticentia, quæ fit imperfecti sermonis, sed tamen præcisa velut ante legitimum finem oratio: ut illud, Nimis urgeo, commoveri videtur adolescens. &, Quid plura? ipsum adolescentem dicere audistis. ⁴ Imitatio morum alienorum, quæ ἰδοποιία, vel ut alii malunt, μιμησις dicitur, jam ⁵ inter leviores affectus numerari potest. Est enim posita fere in eludendo: sed versatur & in factis, & in dictis. In factis, quod est ὑποτυπώσῃ vicinum. In dictis, quale est apud Terentium,

⁶ At ego nesciebam quorsum tu ires. Parvula

Hinc est abrepta, eduxit mater pro sua,

Soror dicta est: cupio abducere ut reddam suis.

Sed nostrorum quoque dictorum factorumque similis imitatio est per relationem, nisi quod frequentius asseverat quam eludit:

¹ In quo est & illa.] Est interdum quoque digressio pertinens ad aposiopesis, ut in oratione pro Cornelio Balbo de commendatione Pompeii. fit autem dupliciter digressio citra aposiopesis: fit enim interdum prolixius, interdum brevius, ut docet Cic. in Oratore. Idem.

² Tum Cajus Varenus à fam. Anchariana.] Vide Turneb. lib. 17. Advers. c. 24.

³ Est alia non quidem, &c.] Hanc nonnulli proprio nomine appellant præcisionem, quando abscindimus sermonem. Turneb.

⁴ Imitatio morum alienorum.] Alexander Numenius ac nonnulli auctores Latini aliter accipiunt ethopziam, quam etiam Rutilius appellat ethologiam, nimirum cum inducimus personam ali-

quam loquentem, cuius mores & sermones verisimiliter exprimimus. sed hanc speciem subjicit Fab. prosopozia. Appellat autem hic ethopziam, imitationem morum tum in dictis tum in factis, ut tamen non inducatur persona loquens. Idem.

⁵ Inter leviores affectus.] Nam leviores affectus appellantur ἥδη, quique affectus sunt naturales: quemadmodum accidentales & majores sunt illi affectus qui dicuntur πῶδη. Idem.

⁶ At ego nesciebam.] Verba sunt Phædræ, repetentis ea quæ dicta sunt à Thaidæ: atque ita verba ejus imitatur. Idem. At ego nesciebam.] In Eunuch. Act. 1. sc. 2.

I Hinc

eludit: *Dicebam habere eos actorem Quin. Cacilium.* Sunt & illa jucunda, & ad commendationem cum varietate, tum etiam ipsa natura plurimum profunt, quæ simplicem quandam, & non præparatam ostendendo orationem, minus nos suspectos judici faciunt. ¹ Hinc est quasi pœnitentia dicti: ut pro Cœlio: *Sed quid ego ita gravem personam introduxi?* Et quibus utimur vulgo, *Imprudens incidi.* Vel cum quærere nos quid dicamus fingimus. *Quid reliquum est?* & *Num quid omisi?* Et cum ibidem in Verrem ait Cicero, *Unum etiam mihi reliquum hujusmodi crimen est.* & *Aliud ex alio succurrit mihi.* ² Unde etiam venusti transitus fiunt: non quia transitus ipse sit schema: ut Cicero narrato Pisonis exemplo, qui anulum sibi cudi ab aurifice in tribunali suo jusserat, velut hoc in memoriam adductus, adjecit; Hic modo me commonuit Pisonis anulus, quod totum effluerat, ³ quam multis istum putatis hominibus honestis de digitis annulos aureos abstulisse? Et cum aliqua velut ignoramus, *Sed earum rerum artificem, quem? quemnam?* recte admones, Polycletum esse dicebant. Quod quidem non in hoc tantum valet. Quibusdam enim dum aliud agere videmur, aliud efficimus: sicut hic Cicero consequitur, ⁴ ne cum morbum in signis atque tabulis objiciat Verri, ipse quoque earum rerum studiosus esse credatur. ⁵ Et Demosthenes jurando per interfectos in Marathone & Salamine, id agit, ut minore invidia cladis apud Cheroneam acceptæ laboret.

Faciunt

¹ *Hinc est quasi pœnit.*] Hanc figuram appellat Rutilius *metanœam*, quæ species est *correctionis*, qua nos reprehendimus. *Turneb.*

² *Unde etiam.*] *Transitus* per se (ut existimat Fab.) *figura* non est, nisi cum illi aliud schema additur, ut *correctio*, *dubitatio*, *pœnitentia*. *Idem.*

³ *Quam multis istum, &c.*] *Romani* nobiles in digitis annulos gestabant. hinc sunt (ut inquit Plinius) *trimodia illa annulorum quæ castis ad Cannas Romanis Carthaginem misit Annibal.* *Idem.*

⁴ *Ne cum morbum in signis, &c.*] Cic. ut significaret maximam cupiditatem Verri, non vocavit *studium*, non *cupiditatem*, sed *morbum*, ad amplificationem. *Idem.*

⁵ *Et Demosthenes.*] Ad Cheroneam urbem Bœotix *Philippus* Macedonum rex superavit *Athenienses*: ex eo prælio *Demosthenes* abjecto clypeo profugit. *Miltiades* autem in *Marathone* campo Atticæ regionis superavit exercitum *Darii* regis *Perfarum*. *Themistocles* in *Salamino* feto profligavit exercitum *Xerxis*. *Idem.*

Faciunt illa quoque jucundam orationem, aliqua mentione habita differre, & deponere apud memoriam iudicis, & reposcere quæ depofueris, & separare quædam schemate aliquo: (¹ non enim est ipsa per se iteratio schema,) & excipere aliqua, & dare actioni varios velut vultus. Gaudent enim res varietate: & sicut oculi diversarum aspectu rerum magis detinentur; ita semper animis præstant in quod se velut novum intendant.

² Est emphasis etiam inter figuras, cum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur: ut apud Virgilium,

Non licuit thalami expertem sine crimine vitam

Degere more fera? -----

Quamquam enim de matrimonio queritur Dido, tamen huc erupit ejus affectus, ut sine thalamis vitam non hominum putet, sed ferarum. ³ Aliud apud Ovidium genus apud quem & Myrrha nutrici amorem patris sic confitetur,

O dixit, felicem conjuge matrem.

⁴ Huic vel confinis, vel eadem est, qua nunc utimur plurimum: Jam enim ad id genus, quod & frequentissimum est, & expectari maxime credo, veniendum est: in quo per quandam suspicionem, quod non dicimus, accipi volumus: ⁵ non utique contrarium, ut in *ειρωνεία*, sed aliud latens, & auditori quasi inveniendum: quod, ut supra ostendi, jam fere solum schema à nostris vocatur, & unde controversiæ figuratæ

¹ *Non enim est ipsa, &c.*] Videtur esse *separatio*, quædam *sejunctio*, cum res aliquas, quæ *conjunctæ* videntur, proponimus, deinde *separamus*: ita cum accedimus ad *separationem*, iteramus. huic finitima est *paradiastole*, quæ res finitimas solet distinguere. *Idem.*

² *Est emphasis.*] Figura hæc (ut inquit Erasmus in Eccl.) valet ad *dignitatem* orationis, ad *acrimoniam* & *affectum*. huic subjecit Fabius lib. 8. *apostrophen*. nunc autem de altera tantum parte loquitur quæ *plus intelligit quam dicit*. *Idem.*

³ *Aliud apud Ovidium.*] *Myrrha*, ut fabulantur poëta, patrem Cypriorum regem amavit, cum eoque rem habuit, ac

demum est mutata in *arbusculam*. *Idem.*

⁴ *Huic vel confinis.*] Hic totus locus translatus est ex tractatione *Dionysii Halicarnassæi*, qua agit de *schematibus*. id est, de *figuratis controversiis*. Angustius tamen tractat *Fab.* quam *Dionysius*. nam *Dionysius* ponit etiam *figuratas controversias* per contrarium. admittere videtur duntaxat Fabius eas quæ fiunt ex *obliquo* & *suspicionem*, aut interdum quæ fiunt *per colorem*. *Idem.*

⁵ *Non utique contrarium.*] Nam si *figurata est controversia per contrarium*, *ironia* subijci debet, non *emphasis*. ait enim antea, in *ironia* interdum esse totam causæ confirmationem. *Idem.*

I Nam

figuratae dicuntur. Ejus triplex usus est: Unus, si dicere palam parum tutum est. Alter, si non decet. Tertius, qui venustatis modo gratia adhibetur, & ipsa novitate ac varietate magis quam si relatio sit recta, delectat. Ex his quod est primum, frequens in scholis est. Nam & actiones deponentium imperium tyrannorum, & post civile bellum senatusconsulta finguntur, & capitale est objicere antea-cta: ut quod in foro non expedit, illic nec liceat. Sed schematum conditio non eadem est. Quamlibet enim apertum, quod modo & aliter intelligi possit, in illos tyrannos bene dixeris, quia periculum tantum, non etiam offensa vitatur. Quod si ambiguitate sententiae possit eludi, nemo non illi furto favet. Vera negotia nunquam adhuc habuerunt hanc silentii necessitatem, sed aliam huic similem: verum multo ad agendum difficiliorem, cum personae potentes obstant, sine quarum reprehensione teneri causa non possit. ¹ Ideoque hoc parcus & circumspectius faciendum: quia nihil interest quomodo offendas: & aperta figura perdit hoc ipsum, quod figura est. ² Ideoque à quibusdam tota res repudiatur, sive intelligatur, sive non. Sed licet modum adhibere: In primis, ne sint manifestae. Non erunt autem, si non ex verbis dubiis & quasi duplicibus petentur: qualis est in suspecta nuru, ³ *Duxi uxorem, quae patri placuit.* Aut, quod est multo ineptius, compositionibus ambiguis: ut illa controversia, in qua infamis amore virginis filiae pater raptam eam interrogat à quo vitiata sit, *Quis te, inquit, rapuit?*

¹ Nam & actiones.] Thema est declamatorium in hanc sententiam, quod tyrannus imperium deponat, addita stipulatione ut antea-cta objicere sit capitale. quae est lex Amnestiae. Idem.

² Ideoque hoc parcus.] Quia in hac conditione potes aperte personas offendere, non videtur figura opus, cum offendere possis citra figuram: alioqui si figura uti velis, parce id faciendum est. si enim continuando figura aptior fieret,

figuræ nomen amitteret. Idem.

³ Ideoque à quibusdam.] Si figura (ait Dionysius) intelligitur, non est melior simplici oratione: si non intelligitur, perditur. Sed hoc demum refutat Dionysius. Idem.

⁴ Duxi uxorem.] Dicit uxorem maritus, ducit etiam meretricem leno ad scortatorem: unde perductor appellatur. Præterea duxerat uxorem vel ex voluntate patris, vel quam pater amabat. Idem.

rapuit? ¹ Tu pater nescis? ² Res ipsæ perducant iudicem ad suspicionem, & amoliamur cætera, ut hoc solum superfit, in quo multum etiam affectus juvant, & interrupta silentio dictio, & cunctationes. Sic enim fiet, ut iudex quærat illud nescio quid, quod ipse fortasse non crederet si audiret: & ei quod à se inventum existimat, credet. Sed ne si optimæ quidem sint, esse debent frequentes. Nam densitate ipsa figuræ aperiuntur, nec offensæ minus habent, sed auctoritatis. ³ Nec pudor videtur quod non palam objicias, sed diffidentia. In summa, sic maxime iudex credit figuris, si nos putat nolle dicere. Equidem quandoque & in personas incidi tales, & in rem quoque (quod est magis rarum) quæ obtineri nisi hac arte non posset. ⁴ Ream tuebar, quæ subiecisse dicebatur marito testamentum, & dicebatur chirographum marito expirante hæredibus dedisse, & verum erat. Nam quia per leges institui uxor non poterat hæres, id fuerat actum, ut ad eam bona ⁵ per hoc tacitum fideicommissum pervenirent. Et caput quidem veri facile erat si hoc diceremus palam: sed peribat hæreditas. Ita ergo fuit nobis agendum, ut iudices illud intelligerent factum, delatores non possent apprehendere ut dictum: & contigit utrunque. Quod non inferuissem, veritus opinionem jactantia,

¹ Tu pater nescis?] Vel quasi raptorem filix suæ pater non debeat ignorare, vel quasi etiam ipse rapuerit & vitiaverit. Idem.

² Res ipsæ perducant.] Cum per figuram dicemus suspiciose, ita oblique rem persequamur, ut ipso orationis ductu sensum ad rei intellectum perveniat iudex. addi debent interruptiones & cunctationes, ut videamur nolle dicere. sic enim erit præstantior figura. Idem.

³ Nec pudor.] Figura uti videmur propter quendam pudorem & verecundiam: at cum crebræ sunt figuræ, existimat iudex nos non audere rem proloqui, propter diffidentiam, atque ita oratio amittit auctoritatem & probabilitatem. Idem.

⁴ Ream tuebar, &c.] Subjicere testamentum, est, falsum pro vero supponere: quod qui facit, damnatur lege Cornelia testamentaria. hanc igitur partem existimemus negatam, ac putemus hæredes qui scripti testamento fuerant, chirographum dedisse quo pollicebantur se reddituros mulieri hæreditatem. itaque contractus erat quidam non absimilis fideicommissio: si tamen fideicommissum fuisset, res non valuisset. Idem.

⁵ Per hoc tacitum fid.] Nam verum fideicommissum fit per interpositionem verborum, quando instituimus hæredem, petimusque ut adiverit hæreditatem, eam restituat fideicommissario. Idem.

I Cum

tia, nisi probare voluissem, in foro quoque esse his figuris locum. Quaedam etiam quæ probare non possis figura potius spargenda sunt. Hæret enim nonnunquam telum istud occultum, & hoc ipso quod non apparet, eximi non potest. At si idem dicas palam, & defenditur, & probandum est. ¹ Cum autem obstat nobis *personæ reverentia* (quod secundum posuimus genus) tanto cautius dicendum est, quanto validius bonos inhibet pudor, quam metus. Hic vero tegere nos iudex quod sciamus, & verba vi quadam veritatis erumpentia credat coercere. Nam quanto minus aut ipsi in quos dicimus, aut iudices, aut assistentes oderint hanc maledicendi lasciviam, si nolle nos credant? ² Aut quid interest quo modo dicatur, cum & res & animus intelligitur? Quid denique dicendo proficimus, nisi ut palam sit nos facere, quod ipsi sciamus non esse faciendum? ³ Atqui præcipue prima, quibus præcipere cœperam, tempora hoc vitio laborarunt. Dicebant enim libenter tales controversias, quæ difficultatis gratia placent, cum sint multo faciliores. Nam rectum genus approbari nisi maximis viribus non potest: hæc diverticula & anfractus suffugia sunt infirmitatis: ut qui cursu parum valent, flexu eludunt: cum hæc quæ affectatur ratio sententiarum, non procul à ratione jocandi abhorreat. ⁴ Adjuvat etiam quod auditor gaudet intelligere, & favet ingenio suo, & alio dicente se laudat. ⁵ Itaque non solum

si per-

¹ *Cum autem obstat.*] Est etiam utendum *figura*, quando non decet palam dicere propter *personæ reverentiam*. *figura* enim efficit *pudorem*, quo movetur *honesta persona*: *apta oratio* efficit *metum*, quo minus *honesti homines* moventur. *Idem.*

² *Aut quid interest.*] Locus est admodum abruptus, ut aliquid deesse videatur. loquitur enim de his qui nimis frequenter utuntur *figuris*, quod vitiosum existimat. Quod autem sit hic sensus, apparet ex sequentibus. *Idem.*

³ *Atqui præcipue.*] Prima tempora quibus præcepit vocat, aut quibus est

primum professus *rhetoricam*, aut quibus scripsit *lib. de causis corruptæ eloquentiæ*: illis enim temporibus nimis erat usus *figurarum*. *Idem.*

⁴ *Adjuvat etiam.*] Hac impelluntur causa nonnulli ut *figuris* utantur, quia gratius est hoc dicendi genus *auditoribus*. nam cum *auditor* intellexit suspicionem, favet *inventioni suæ* & suo ingenio. *Idem.*

⁵ *Itaque non solum.*] Utebantur *figuris* non solum quum erat *persona honesta*, quæ postularet *reverentiam*, sed etiam cum erat *persona nefaria*. *Idem.*

si persona obstaret recte orationi (quo in genere sapius modo quam figuris opus est) decurrebant ad schemata, sed faciebant illis locum etiam ubi personæ inutiles ac nefariæ essent: *ut si pater qui infamem in matrem filium secreto occidisset, reus male tractationis, jacularetur in uxorem obliquis sententiis.*¹ Nam quid impurius quam retinuisse talem? Quid porro tam contrarium, quam eum qui accusetur, quia summum nefas suspicatus de uxore videatur, confirmare id ipsa defensione quod diluendum est? At si iudicum fumerent animum, scirent quam ejusmodi actionem laturi non fuissent: multoque etiam minus, cum in parentes abominanda crimina spargerentur. Et quatinus huc incidimus, paulo plus scholis demus. Nam & in his educatur orator: ² & in eo, quo modo declametur, positum est etiam quo modo agatur. Dicendum ergo de iis quoque in quibus non asperfas figuras, ³ sed palam contrarias causæ plerique fecerunt. ⁴ Tyrannidis affectatæ damnatus torqueatur, ut conscios indicet: accusator ejus optet quod volet. Patrem qui accusavit, optat ne is torqueatur. pater ei contradicit. Nemo se tenuit agens pro patre, quin figuras in filium faceret, tanquam illum conscium pater in tormentis esset nominaturus. Quo quid stultius? Nam cum hoc iudices intellexerint, aut non torquebitur cum ideo torqueri velit: aut torto non credetur. At credibile est hoc eum velle fortasse. Dissimulet ergo, ut efficiat. ⁵ Sed nobis (declamatoribus dico)

¹ *Nam quid impurius.] De hoc themate scripta est declamatio à Fabio, quam Valla existimat divinam & admirabilem. cum autem maritus accusetur mala tractationis, diluere id debet. at si fingeret uxorem obliquis sententiis, id confirmaret per suspicionem. Idem.*

² *Et in eo, quo modo, &c.] Sensus est, si quis bene declamaverit, & ad veritatem, idem etiam optime causas egerit. quod igitur dixerit de declamatione, idem pertinebit ad institutionem oratoris. Idem.*

³ *Sed palam contrarias.] Dionysius tamen existimat figuræ quoddam genus esse per contrarium, quod videtur Fab. reprehendere, aut saltem notare ejus usum, quia declamatores perperam eo utebantur. Idem.*

⁴ *Tyrannidis affectatæ, &c.] In hoc est figura, quia quanquam petit, ut torqueatur, alio est animo, sed ita indicat filium esse tyrannidis conscium. est igitur figura à contrario. Idem.*

⁵ *Sed nobis.] Alia est hypophora, qua declamatores tventur suam figuram. quibus*

dico) quid proderit hoc intellexisse, nisi dixerimus? Ergo si vere ageretur, similiter consilium illud latens prodidissimus? Quid si neque utique verum est, & habere alias hic damnatus contradicendi causas potest, vel quod legem conservandam putet, vel quod nolit accusatori debere beneficium, vel (quod ego maxime sequerer) ut se innocentem in tormentis esse ¹ prætendat? ² Quare ne illud quidem semper succurret sic dicentibus, *Patrocinium hoc voluit, qui controversiam finxit.* Fortasse enim noluit: sed esto, voluerit: continuone si ille stulte cogitavit, nobis quoque stulte dicendum est? At ego in causis agendis frequenter non puto intuendum quid litigator velit. ³ Est & ille in hoc genere frequens error, ut putent aliud quosdam dicere, aliud velle: præcipue cum in themate est, aliquem ut sibi mori liceat postulare: ut in illa controversia, *Qui aliquando fortiter fecerat, & alio bello petierat* ⁴ *ut militia vacaret ex lege, quod quinquagenarius esset, adversante filio ire in aciem coactus deseruit.* Filius qui fortiter eodem prælio fecerat, incolumitatem ejus optat: contradicit pater. Non enim, inquiunt, mori vult, sed invidiam filio facere. Equidem rideo, quod illi sic timent tanquam ipsi morituri, & in consilium suos metus ferunt, obliti tot exemplorum circa voluntariam mortem, causarum quoque quas habet factus ex viro forti desertor. Sed de una controversia loqui supervacuum est. ⁵ Ego in univ-

bus respondet Fabius in veris causis occultandum esse hoc consilium, ac perinde idem faciendum in declamatione. Idem.

¹ Prætendat.] Prætendat. Pith.

² Quare ne illud.] Alia est declamatorum objectio. sic enim dicunt, *At ille qui defenditur, hoc modo se defendi vult:* Fabius respondet non esse per omnia litigatoribus obtemperandum. nam & Cicero Cluentium aliter defendit, quam Cluentius velle. Turneb.

³ Est & ille in hoc, &c.] Hoc quoque genus referri debet ad figuram ex con-

trario ductam, cum aliud dicimus & aliud volumus. Idem.

⁴ Ut militia vacaret.] Ex lege militari quinquagenarius vacationem obtinet, ut ex lege civili sexagenarius vacationem à muneribus civilibus, inde dicuntur senes deponant. Idem.

⁵ Ego in universum, &c.] Prævaricari hic appellat Fabius, à vero dicendi genere deflectere. fortasse etiam ad id alludit, quod defensor idem sentit cum accusatore. nam filius petit ne pater moriatur, idem quoque pater petit, quod attinet ad voluntatem. Idem.

universum neque oratoris puto esse unquam prævaricari, neque litem intelligo, in qua pars utraque idem velit: neque tam stultum quenquam, qui si vivere velit, mortem potius male petat, quam omnino non petat. Non tamen nego esse controversias huiusmodi figuratas: ut illa, *Reus parricidii, quod fratrem occidisset, damnatum iri videbatur. Pater pro testimonio dixit eum se iubente fecisse: absolutum abdicat.* ¹ Nam neque in totum filio parcit, nec quod priore iudicio affirmavit, mutare palam potest, & ut non durat ultra pœnam abdicationis, ita abdicat tamen: & ² obliqua figura in patre plus facit quam licet, in filio minus. Ut autem nemo contra id quod vult dicit, ita potest melius aliquid velle quam dicit: quomodo ille abdicatus, qui à patre ut filium expositum & ab eo educatum ³ solutis alimentis recipiat postulat, revocari fortasse mavult, non tamen quod petit, non vult. ⁴ Est latens & illa significatio: qua cum jus asperius petitur à iudice, fit ei tamen spes aliqua, clementiæ non palam, ne paciscamur, sed per quandam credibilem suspensionem, ut in multis controversiis, sed in hac quoque: *Raptor nisi intra trigesimalium diem, & raptæ patrem, & suum exoraverit, pereat.* Qui exorato raptæ patre suum non exorat, agit cum eo dementiæ. Nam si permittat hic pater, lis tollitur: si nullam spem faciat, ut non demens, crudelis certe videatur, & à se iudicem avertat. ⁵ Latro igitur optime, *Occidet ergo, si potero. Remissius, & pro suo ingenio pater Gallio, Dura anime hodie, dura: heri fortior fuisti.* Confinita sunt his celebrata

¹ Nam neque in totum.] Explicat rationem figuræ Fabius. *abdicatio enim fit ab aliquam causam.* videtur autem abdicatus à patre propter interfectum fratrem, & tamen liberatus fuerat testimonio patris. Est igitur necessarium ut pater afferat figuram. Idem.

² Obliqua.] Alii, *Alioqui.*

³ Solutis alimentis.] Nam lex erat ut liceret expositum filium recipere, dummodo alimenta solverentur nutritio. Turnebus.

⁴ Est latens & illa significatio, qua, &c.] Species etiam est figura, quando quæ duriora sunt, blanditiis verborum & lenitate mitigamus. hanc speciem appellant Græci *Ἐφημισμός*. quanquam & *euphemismus* appellatur, cum dicimus boni omnis causa. Idem.

⁵ Latro igitur optime.] Exemplum est ductum ex oratione *Portii Latronis*, declamatoris insignis, in quo vix deprehendas figuram, propterea quod oratio illa desideratur. Idem.

¹ Nam

brata apud Græcos schemata, per quæ res asperas mollius significant. ¹ Nam Themistocles suasisse existimatur Atheniensibus, ut urbem apud deos ² deponerent: quia durum erat dicere, ut relinquerent. ³ & qui victorias aureas in usum belli conflare volebat, ita declinavit, victoriis utendum esse. Totum autem allegoriæ simile est, aliud dicere, aliud intelligi velle. Quæsitum etiam est quomodo responderi contra figuras oporteret. Et quidem semper ex diverso aperiendas putaverunt, sicut latentia vitia rescinduntur. Idque sane frequentissime faciendum est, aliter enim dilui objecta non possunt, utique cum quæstio in eo consistit, quod figuræ petunt. At cum maledicta sunt tantum, non intelligere interrim bonæ conscientia est. Atque etiam cum fuerint crebriores figuræ, quam ut dissimulari possint, postulandum est, ut illud nescio quid quod adversarii obliquis sententiis significare voluerint, si fiducia sit, objiciant palam: aut certe non exigant, ut quod ipsi non audent dicere, id iudices non modo intelligant, sed etiam credant. ⁴ Utilis etiam aliquando dissimulatio est, ut in eo (nota enim fabula est) qui cum esset contra eum dictum, *Jura per patroni tui cineres, paratum se esse respondit*: & iudex conditione usus est, clamante multum advocato, schemata de rerum natura tolli, ut protinus etiam præceptum sit, ejusmodi figuris utendum temere non esse. Tertium est genus, in quo sola melius dicendi petitur occasio: ideoque id Cicero non putat esse positum in contentione. Tale est illud, quo idem utitur in Clodium, *Quibus iste,*
qui

¹ Nam Themistocles.] Cum Xerxes in Atticam veniret, Themistocles Atheniensibus suasit ut relicta urbe se navibus committerent: sed rem ita declinavit, ut urbem relinquerent diis asservandam more depositi. Idem.

² Deponerent.] Herod. lib. 7. *ἠδὲ καὶ τὴν πόλιν ἐπέθετο.*

³ Et qui victorias aureas.] Simulachra victoriae fiebant ex auro. suadebat igitur

aliquis ut ex victoria statua conficerentur pecunia ad usum belli. sed enim qui victorias destruit, videtur verbo ominoso protendere civitati cladem: quocirca hoc molliendum fuit aliqua figura. Turneb.

⁴ Utilis etiam.] Seneca in declamationibus hujus rei meminit. hoc enim factum esse dicit ab Albutio, qui hanc obtulerat conditionem Aruntio, quam & ille accepit. Idem.

I Qui

¹ qui omnia sacrificia nosset, facile ab se deos placari posse arbitrabatur. Ironia quoque in hoc genere materiæ frequentissima est. Sed eruditissimum longe, si per aliam rem alia inducatur: ut cum adversus tyrannum qui sub pacto abolitionis dominationem deposuerat, ait competitor, *Mihi in te dicere non licet, tu in me dic, & potes: 2 Nuper te volui occidere.* Frequens illud est, nec magnopere captandum: quod petitur à jurejurando: ut pro exhæredato, ³ *Ita mihi contingat hærede filio mori.* Nam & in totum jurare, nisi ubi necesse est, gravi viro parum convenit: & est à Seneca dictum eleganter, *non patronorum hoc esse, sed testium.* Nec meretur fidem, qui sententiolæ gratia jurat: nisi si potest tam bene quam Demosthenes, ut supra dixi. Levissimum autem longe genus ex verbo, etiamsi est apud Ciceronem in Clodium, *Præsertim quam omnes amicam omnium potius quam cujusquam inimicam putaverunt.* ⁴ Comparationem equidem video figuram non esse, cum sit interim probationis, interim etiam causæ genus: & sit talis ejus forma, qualis est pro Murena, *Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas: ille, ut quo contendit, mature cum exercitu perveniat. Te Gallorum, illum buccinarum eantus excitat, & cætera.* ⁵ Nescio an orationis potius quam sententiæ sit. Id enim solum mutatur, quod non universa universis, sed singula singulis opponuntur. Et Celsus tamen,

¹ *Qui omnia sacrificia nosset.*] Hoc ait, propterea quod Clodius ingressus erat in opertum Bonæ Deæ, quod non licebat viris. Unde fingit Cic. peritum esse sacrificiorum. Idem.

² *Nuper te volui occidere.*] Figura est in eo, quod accipi potest vox tyrannica, qua occidere tyrannus volebat civem privatum, accipi potest etiam oblique, quod dici non poterat aperte, quasi competitor voluerit nuper occidere tyrannum. Idem.

³ *Ita mihi contingat, &c.*] Patronus hoc jurejurando significat malam fuisse exhæredationem & impiam, quoniam optat filium hæredem. sic enim exhæreda-

tionem averfatur. Idem.

⁴ *Comparationem equidem.*] Duplex est comparatio: quædam enim ad argumenta refertur, de qua dixit lib. 5. quædam ad genus causæ, unde causa comparativa dicitur à Fab. lib. 3. Fabius autem comparationem non putat esse schema, Cic. existimavit in lib. de Oratore, & Rutilius. Idem.

⁵ *Nescio an.*] Ab aliis duæ figuræ sunt comparationis. altera enim ponitur in re, quam appellant σύγκρισις: altera ponitur in verbo, quam appellant ἀντιθέσις. Rutilius tamen antitheton ponit in verbo & in re. Idem.

men, & non negligens auctor Visellius in hac eam parte posuerunt. Rutilius quidem Lupus in utroque genere, idque ἀντίθετον vocat. Præter illa vero quæ Cicero inter lumina posuit sententiarum, multa alia & idem Rutilius Gorgiam secutus, non illum Leontinum, sed alium sui temporis, cuius quatuor libros in unum suum transtulit, & Celsus videlicet Rutilio accedens, posuerunt *schemata*. ¹ *Consummationem*, quam Græcus ἀπαγγελῶ vocat, cum plura argumenta ad unum effectum deducuntur. *Consequens*, ille ἐπακολούθησιν, de quo nōs in argumentis diximus. *Collectionem*, qui apud illum est συλλογισμός. *Minas*, id est καὶ ἀπληξιν. *Exhortationem*, ἐπιχειρησιν. Quorum nihil non rectum est, nisi cum aliquam ex his, de quibus locuti sumus, figuram accipit. Præter hæc Celsus, excludere, asseverare, detrectare, excitare iudicem, proverbii uti, & versibus, & joco, & invidia, & invocatione, intendere crimen, quod est δεινώσιν, adulari, ignoscere, fastidire, admonere, fatiscere, precari, corripere, figuras putat. *Partitionem* quoque, & propositiōnem, & divisionem, & ² rerum duarum cognationem, quod est ut idem valeant quæ videntur esse diversa, ut non is demum sit veneficus, qui vitam abstulit data potione, sed etiam qui mentem: quod est in parte finitionis. Rutilius sive Gorgias, ³ ἀναγκασίον, ἀνάμνησιν, ἀνθυποφοράν, ἀντίρρησιν, ἐπιχειρησιν, ἀσέκθεσιν, quod est dicere quid fieri oportuerit, deinde quid factum sit: ἐναντιότησιν unde sint enthymemata καὶ αἰτίασιν: μετέληψιν etiam quo statu Hermagoras utitur. Visellius quam paucissimas facit figuras, facit ἐνθύμημα tamen, quod *commentum* vocat: & rationem appellans ἐπιχειρημα, inter has habet.

¹ *Consummationem.*] Hæc figura non reperitur in lib. Rutilii, ut videtur mutilus ille liber ad nos pervenisse. quia autem multa argumenta eidem rei accommodata probationem perficiunt & consummant, idcirco *consummatio* appellatur hæc figura. *Idem.*

² *Rerum duarum cognationem.*] Fit hæc figura, cum res diversas easdem dicimus

esse, huic opponitur *paradiastole*, quæ ostendit quantum sit discriminis inter ea quæ prope videntur eadem. *Idem.*

³ *Αναγκασίον.*] *Necessarium* est, cum causamur necessitatem rerum aut personarum. *Recordatio* est, cum aliquid in memoriam iudicis revocamus, ut melius infigatur. *anthyphora*, solutio est *hypophora*. *Idem.*

1 Διασ-

habet. quod quidem recipit quodammodo & Celsus: nam *consequens* an epicherema fit, dubitat. Visellius adjicit & sententiam. Invenio qui aggregent his ¹ *διασπουδῆς, ἀπυροπόουδῆς, ἀφαιδινυσιῶδῆς*. Sed ut hæc non sunt schemata: sic alia vel sint forsitan, ac nos fugerint: vel etiam nova fieri adhuc possint, ejusdem tamen naturæ, cujus sunt ea de quibus dictum est.

¹ *Διασπουδῆς.*] Expositiones latine | quimur *circumstantias*, & addimus mo-
possimus dicere, quæ fiunt cum perfe- | dum. auctor Hermog. Idem.

CAP. III.

De figuris verborum.

³ **V**erborum vero figuræ & mutatae sunt semper, & ut-
cunque valuit consuetudo, mutantur. Itaque si anti-
quum sermonem nostro comparemus, pene jam quicquid
loquimur, figura est: ut *huic rei invidere*, non, ut omnes
veteres, & Cicero præcipue, *hanc rem*: & *incumbere illi*, non
in illum: & *plenum vino non vini*, & *huic non hunc adulari*, jam di-
citur, & mille alia: utinamque non pejora vincant. ² Ve-
rum schemata *λέξεως* duorum sunt generum: alterum lo-
quendi rationem vocant: alterum quod ad collocationem
maxime exquisitum est. Quorum tamen utrunque conve-
nit orationi, tamen possis illud *grammaticum*, hoc *rhetori-
cum* magis dicere. Prius fit iisdem generibus, quibus vitia.
³ Effet enim omne *schema* vitium, si non peteretur, sed ac-
cideret. Verum auctoritate, vetustate, consuetudine ple-
runque defenditur, sæpe etiam ratione quadam. Ideoque
cum

Impossibile est ut aliquis omnes verbo-
rum *figuras* complectatur, quia quoti-
die alia atque alia oriuntur pro sermo-
nis mutatione. Turneb.

¹ *Invidere.*] Dan. *Invadere*.

² *Verum schemata.*] Sic quoque divi-
dunt *grammatici*, qui *figuras* ponunt lo-
cutionis & constructionis. sed enim con-
structionis *figura* (ut docet Cic.) maxi-

mam afferunt orationi concinnitatem:
ideoque *rhetoricæ* à Fabio appellantur.
Turneb.

³ *Effet enim omne.*] Id antea docuit
Fabius, *schema* cum per imprudentiam
excidit, habendum esse loco *solæcismi*: sed
enim cum petitur, pro virtute ducitur.
Idem. Effet, &c.] Effet enim omne hujus-
modi. * Defuit vet. exempl. vide infra.

I Quo

cum sit à simplici rectoque loquendi genere deflexa, virtus est, si habet probabile aliquid quod sequatur. Una tamen in re maxime utilis, ut quotidiani & semper eodem modo formati sermonis fastidium levet, & nos à vulgari dicendi genere defendat. ¹ Quo si quis parce, & cum res poscet utetur, velut asperfo quodam condimento jucundior erit: at qui nimium affectaverit, ipsam illam gratiam varietatis amittet, quanquam sunt quædam figuræ ita receptæ, ut pene jam hoc ipsum nomen effugerint: quæ etiam si fuerint crebriores, aures consuetas minus ferient. Nam secretæ, & extra vulgarem usum positæ, ideoque magis nobiles, ut novitate aurem excitant, ita copia fatiant: nec se obvias fuisse dicenti, sed conquistâs, & ex omnibus latebris extractas congestasque declarant. ² Fiunt ergo & circa genus figuræ in nominibus, Nam & *oculis capti talpa*, & *timidi damæ* dicuntur à Virgilio: sed subest ratio, quia sexus uterque altero significatur. Tam enim mares esse *talpas* damasque quam fœminas certum est. Et in verbis: ut *Fabricatus est gladium*: & ³ *Inimicos punitus es*. Quod mirum minus est, quod in natura verborum est, & quæ facimus patiendi modo sæpe dicere, ut *arbitror*, *suspikor*: & contra faciendi quæ patimur: ut *vapulo*: ideoque frequens permutatio est: & pleraque utroque modo efferuntur, *luxuriatur*, *luxuriat*, *fluctuatur*, *fluctuat*, *assentior*, *assentio*, *revertor*, *revertio*. Est figura, & in numero: vel cum singulari pluralis subjungitur, *Gladio pugnacissima gens Romani*. *gens* enim ex multis. Vel è diverso,

⁴ *Cui non risere parentes,*

Nec

¹ *Quo si quis parce.*] Locus hic ductus est ab *Arist.* qui *Alecidamantem* reprehendebat quod ornamentis uteretur non ut condimentis, sed ut cibis: quo dicto significabat illis parce utendum. *Turneb.*

² *Fiunt ergo.*] Has figuras grammatici vocant *heterosin* & *enallagen*. id est, *mutationem*, quia mutantur vel partes

vel partium qualitates. primum hoc genus vocatur *ετερογενής*. *Idem.*

³ *Inimicos punitus es.*] *Barthius* *Adversar.* lib. 23. cap. 9. p. 1131. *Jan. Gebhard.* *Crepund.* lib. 2. cap. 11. pag. 85. 86.

⁴ *Cui non risere, &c.*] *Mire* torquentur in his versibus *grammatici*. nam per multi putant *Cui* legendum esse in dativo singulari: *Fabius* vero accipit in nominativo

Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

Ex illis enim qui non risere, hunc non dignatus deus, nec dea dignata. Et mutatione partium, ut in Satyra,

-- *Et nostrum istud vivere triste Aspexi.*

cum infinito verbo sit usus pro appellatione. Nostram enim vitam vult intelligi. Utimur & verbo pro participio, ut,

¹ *Magnum dat ferre talentum,*

tanquam ferendum. Et participio pro verbo, *Volo datum.* Interim etiam dubitari potest cui simile vitio sit schema, ut in hoc,

Virtus est vitium fugere. --

Aut enim partes orationis mutat ex illo, *Virtus est fuga vitiorum.* Aut casus ex illo, *Virtutis est vitium fugere.* ² Multa tamen hoc utroque excitatius junguntur interim schemata. *Sthenelus sciens pugna.* Est enim *sciens Sthenelus pugnandi.* Transferuntur etiam tempora, *Timarchides negat esse ei periculum à securi.* ³ Præsens enim pro præterito positum est. Et futurum pro præsentis,

Hoc Ithacus velit. Et ne morer, per omnia fit genera, per quæ fit *solæcismus.* Hæc est quoque quam ⁴ *ἰστέρωσις* vocant, cum dissimilis est, ⁵ *Zeugma* dicitur: ut apud Sallustium, *Neque ea res falsum me habuit.* & *Duci probare.* Ex quibus fere præter novitatem brevitatis etiam peti solet. Unde eoque processum esse, ut *non pœniturum*, pro non acturo pœnitentiam: & *visuros*, ad videndum missos, idem auctor dixerit.

minativo plurali, cui statim subicitur *Hunc*, in numero singulari. *Turnebus.* *Cui non risere parentes nec Deus hunc mensa, &c.*] *Turneb.* *Adversarior. lib. 16. cap. 13.*

¹ *Dat ferre talentum.*] *Servius* huiusmodi locutiones interpretatur per *ut* & *verbum passivum.* id est, *ut ferretur.* videtur tamen phrasim esse græcā: nam sic loquuntur *Græci* per infinitivum. *Turnebus.*

² *Multa tamen, &c.*] Sunt elegantiora quædam schemata, quæ fiunt ex

superiorum conjunctione, cum mutantur partes & mutatur casus. *sciens* enim accusativum habere debet, deinde *pugnae* ponitur pro *pugnandi.* Idem.

³ *Præsens enim pro præterito.*] Est autem hæc peculiaris phrasim *historicis.* narrant enim *præterita* per *præsens.* Idem.

⁴ *ἰστέρωσις.*] *Dan.* *Ἐτέρωσις.*

⁵ *Zeugma dicitur.*] Nove usurpat *zeugma* *Fabius.* vulgo enim appellatur, quando verbum duntaxat unum pluribus accommodatur sententiis: apud *Fabium* species est heterosceos. *Turneb.*

I Quæ

herit. ¹ Quæ ille quidem fecerit *schemata*, an idem vocari possint, videndum, quia recepta sunt. Nam receptis etiam vulgo auctore contenti sumus. ² Verum natura evaluit agentibus, quod Pollio in Labieno damnat: & *contumeliam fecit*, quod à Cicerone reprehendi notum est: *affici* enim *contumelia* dicebant. Alia commendatio vetustatis, cujus amator unice Virgilius fuit,

³ *Vel cum se pavidum contra mea jurgia jactat:*
Progeniem sed enim Trojano à sanguine duci
Audierat. ---

Quorum familia apud veteres tragicos comicosque sunt plurima. Illud etiam in consuetudine remansit. ⁴ Enimvero his amplius apud eundem:

Nam quis te juvenum confidentissime: ---
cum quis, sermonis initium sit. &

⁵ *Tam magis illa tremens, & tristibus effera flammis,*
Quam magis effuso crudescunt sanguine pugna.

Quod est versum ex illo, *Quam magis ærumna viget, tam magis ad malefaciendum urget.* Pleni talibus antiqui: sicut initio Eunuchi Terentius, ⁶ *Quid igitur faciam?* inquit. ⁷ Allusit tan-

¹ *Quæ ille quidem.*] Quanquam (inquit Fab.) istas formulas innovavit *Salustius*, quæri tamen potest an figuræ sint, quia receptæ sunt in usum, ac jam sunt vulgares formulæ loquendi. *Idem.*

² *Verum natura evaluit.*] Hic locus ita depravatus est, ut vix elici possit sensus. significat tamen quadam olim reprehensa fuisse, quæ postea ipsa consuetudine fuerint usitata. *Idem.*

³ *Vel cum se pavidum.*] *Budeus* in commentar. linguæ Græcæ hoc loco *Fabium* reprehendit: negat enim in particula *Vel* esse antiquitatem, sed hellenismum. ponitur enim pro *Nam* in initio periodi ad indignationem vel affectum. *Idem.*

⁴ *Enimvero.*] Inde dicebat *Fab.* lib. primo, controversiam esse, posterne aliquando *Enim* præponi: nam in particula

Enimvero præponitur. *Idem* de particula *Igitur* dicebat, posterne postponi & præponi. *Idem.*

⁵ *Tam magis illa tremens.*] Est *Archaismos* in hac locutione. posuit enim *Tam* & *Quam* pro *Tanto* & *Quanto*, more antiquorum. *Idem.* *Tam magis illa tremens.*] Vide M. Ant. Muret. Var. Lect. lib. 19. cap. 2. pag. 1223. Jan. Gebhard. Crepund. lib. 3. cap. 11. p. 130.

⁶ *Quid igitur faciam?*] *Archaismos* est in particula *Igitur*, quia significat *deinde*, ut inquit *Donatus*. vel *hoc* ait *Fabius*, quia *Igitur* postponitur. *Turnebus.*

⁷ *Allusit tandem leno.*] Exemplum est ex aliquo Comico. in his autem locutionibus (ut inquit *Donatus*) *Tandem* more veterum est expletiva particula, quanquam refragatur *Valla.* *Idem.*

tandem leno. Catullus in Epithalamio,

-- Dum ¹ innupta manet, dum chara suis est.

Sed prius *dum*, significat quoad: sequens, usque eo. ² Ex Græco vero translata vel Sallustii plurima: quale est, *vulgus amat feri*: ³ vel Horatii. ⁴ Nam id maxime probat hoc Ciceronis:

Et mutatio casus: ut, *nec illi sepositi ciceris.*

Nec longæ invidit avenæ.

Et Virgiliti:

-- Tyrrhenum navigat equor.

Etiam vulgatum actis quoque, *Saucius pectus*. Ex eadem parte figurarum additio & abjectio est. Illaque prior videri potest supervacua, sed non sine gratia est,

Nam neque Parnassi vobis juga, nam neque Pindi.

Potest enim deesse alterum *nam*. Et apud Horatium illud,

-- Fabriciumque,

⁵ Hunc, & intonsis Curium capillis.

Est etiam adjectio, quæ in complexu sermonis aut *vitium* habet, aut *figuram*. Figuram, ut, *Accede ad ignem hunc: jam calesces plus satis*. plus enim quam satis est. De altera quæ *detractio* est pluribus dicendum est. ⁶ Utimur vulgo & comparativis pro absolutis, ut cum se quis infirmiore esse dixerit, duo inter se comparativa committimus, *si te jam Catilina comprehendi, si interfici jussero, credo erit verendum, mihi, ne non hoc potius omnes boni serius à me, quam quisquam crudelius factum esse dicat*. Sunt illa non similia solœcismo quidem, sed

¹ *Innupta.*] *Intacta*. Pithœus.

² *E Græco vero.*] Has locutiones quæ habent *hellenismum*, diligentissime est persequutus Bud. *Amat autem hic dictum est more Græco pro solet*. Turneb.

³ *Vel Horatii.*] Vide Muret. Var. lect. lib. 19. cap. 2. pag. 123.

⁴ *Nam id.*] Videntur hic quædam desiderari, nisi forte existimemus *Fabium* respexisse ad verbum *invideo*, de quo dixit antea. nam *Horatius* dixit *invideo*

antiquorum more & more Græcorum: quæ res probat *Ciceronis* dictum: nam *Cic.* dixit, *invideo* *hanc rem*. Turneb.

⁵ *Hunc & intonsis.*] Vett. lib. teste Mureto *ibid. incomptis*.

⁶ *Utimur vulgo.*] Ex hoc *Fabii* loco præceptum fecit Valla, *comparativum* accipi pro *positivo*, ac reprehendit *Prisc.* & *Servium*, qui in his locutionibus ajunt *comparativum* minus significare quam *positivum*. Turneb.

sed tamen numerum mutantia, quæ & tropis assignari solent, ut de uno pluraliter dicamus,

Sed nos immensum spatium consecimus æquor.

Et de pluribus singulariter,

Haud secus ac patriis acer Romanus in armis.

Specie diversa, sed genere eadem & hæc sunt,

Neve tibi ad solem vergant vineæ cadentem :

Nec mihi tum molles sub dio carpere somnos,

Neu dorso nemoris libeat jacuisse per herbas.

Non enim nescio cui alii prius, nec postea sibi uni, sed omnibus præcipit. Et de nobis loquimur tanquam de aliis: Dicit Servius, Negat Tullius. Et nostra persona utimur pro aliena, & alios pro aliis fingimus. Utriusque rei exemplum pro Cecinna. Pisonem adversæ partis advocatum alloquens Cicero dicit, *Restituisse te dixi, Nego me edicto prætoris restitutum esse.* Verum enim illud *restituisse* Ebutius dixit. *Nego me, Cecinna, edicto prætoris restitutum esse.* Ubi & ipsum *dixi*, extrita syllaba, figura in verbo est. Illa quoque ex eodem genere possunt videri quam nos *interpositionem*, vel *interclusionem* dicimus, Græci *παρέθεσις* vocant, dum continuationi sermonis medius aliquis sensus intervenit. Ego cum te (mecum enim sapissime loquitur) patria reddidissim. Cui adjiciunt *hyperbaton*, non illud quod inter tropos esse voluerunt: sed alterum: quod est ejus figuræ sententiarum, quæ *ὁμοειδὴς* dicitur, simile, cum non sensus mutatur, verum forma eloquendi:

-- Decios, Marios, magnosque Camillos,

Scipiadas duros bello, & te maxime Cæsar.

Acutius adhuc in Polydoro:

Fas omne abrumpit, Polydorum obruncat, & auro

Vi potitur. --

Quid non mortalia pectora cogis. Auri sacra fames?

Qui

I Illa quoque.] Parenthesis referri quoque debet ad *enallagen*, propterea quod continquam orationis formam mutat.

eam vertunt aliqui *interjectionem* & *interpositionem*. Idem.

Qui tam parva momenta nominibus discreverunt, μετεβοσι
vocant, quam & aliter fieri putant:

¹ Quid loquor? aut ubi sum?

Conjuxit autem περιένθεσι & λήσας ομοφωσ Virgilius in illo loco,

Haud procul inde cita Metium in diversa quadrigæ

Distulerant (at tu dictis Albane maneres)

Raptabatque viri mendacis viscera Tullus.

Hæc schemata, & his similia, quæ erunt per mutationem, adjectionem, detractioem, ordinem, & convertunt in se auditorem, nec languere patiuntur subinde aliqua notabili figura excitatum: & habent quandam ex illa vitii similitudine gratiam, ut in cibus interim acor ipse jucundus est. ² Quod continget, si neque supra modum multæ fuerint, nec ejusdem generis aut junctæ, aut frequentes: quia satietatem ut varietas earum, ita raritas effugit. Illud est acrius genus, quod non tantum in ratione positum est loquendi, sed ipsis sensibus cum gratiam, tum etiam vires accommodat. E quibus primum fit quod fit per adjectionem, plura sunt genera. ³ Nam & verba geminantur, vel amplificandi gratia: ut, *Occidi, occidi, non Sp. Melium*. Alterum est enim quod indicat, alterum quod affirmat. Vel miserandi: ut,

Ah Corydon, Corydon. --

Quæ eadem figura nonnunquam per ironiam ad elevandum convertitur. ⁴ Similis geminationis post aliquam interjectionem repetitio est, sed paulo etiam vehementior, *Bona, miserum me (consumptis enim lacrymis tamen infixus animo heret dolor) bona inquam Cn. Pompeii acerbissima voci subjecta præconis. Vivis, & vivis non ad deponendam sed, ad confirmandam audaciam.*

Et

¹ Quid loquor? Præter modum hunc, addit secundum Rutilius, *Quum orationem revocamus ad rem aut ad personam institutam*: videturque ea esse species quam vulgo appellant transitionem. Idem

² Quod continget. Hoc hyperbaton dissimile est superioribus, fit autem cum repente continuatione sermonis ad rem

aliquam aut personam convertitur: videturque quasi esse *Apostrophe*. Idem.

³ Nam & verba. Hæc appellatur vulgo *conduplicatio*, ab Alexandro ἐπιπλάσις. Idem.

⁴ Similis geminationis. Hanc appellat figuram *palilogiam*, cum ex intervallo verbum repetitur. Idem.

¹ Etiam

Et ab iisdem verbis plura acriter & instanter incipiunt: *Nihilne te nocturnum presidium palatii, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil consensus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt?* Et iisdem desinunt, *Quis eos postulavit? Appius. quis produxit? Appius.* Quanquam hoc exemplum ad aliud quoque schema pertinet, cuius initia inter se & fines iidem sunt, *quis & quis, Appius & Appius.* Quale est, *Qui sunt qui foedera saepe ruperunt? Carthaginienses. Qui sunt qui crudele bellum in Italia gesserunt? Carthaginienses. Qui sunt qui Italiam deformaverunt? Carthaginienses. Qui sunt qui sibi ignosci postulant? Carthaginienses.* ¹ Etiam in contraposis vel comparativis solet respondere primorum verborum alterna repetitio, quod modo hujus esse loci potius dixi, *Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas, ille, ut eo quo intendit mature cum exercitu perveniat. Te Gallorum, illum baccinarum cantus exuscitat. Tu actionem instituis, ille aciem instruit. Tu caves ne consultores tui, ille ne urbes aut castra capiantur.* Sed hac gratia non fuit contentus orator, vertit in contrarium eandem figuram: *Ille tenet & scit ut hostium copia, tu ut aquae pluviae arceantur. Ille exercitatus est in propagandis finibus, tu in regendis.* Possunt media quoque respondere, vel primis: ut,

² *Te nemus Angitia, vitrea te Fucinus unda.* Vel ultimis, *Hac navis onusta praeda Siciliensi, cum ipsa quoque esset ex praeda.* Nec quisquam dubitavit idem posse fieri iteratis utrinque mediis.

³ Respondent primis & ultima, *Multi & graves dolores inventi parentibus, & propinquis multi.* ⁴ Est & illud repetendi genus, quod

¹ Etiam in contraposis.] Alternata repetitio saepenumero locum habet in antithetis & in contentione. itaque reprehendit eos in superiori capite, qui in hoc exemplo *comparationem* posuerunt pro figura, cum sic potius *repetitio dictionis*. Idem.

² Te nemus Angitia.] Nemus Angitia erat apud Marrubios populos Italiae. sic autem appellabatur ab Angitia, id est, Medea. Idem.

³ Respondent primis & ultima.] Hanc figuram vocat Donatus *epanalepsin*, alii appellant *epanadiplosin*: sed tamen haec nomina varie usurpantur ab authoribus. Idem.

⁴ Est & illud repet.] Cum proposuimus quaedam, & ad ea ante perfectum sensum revertimur, *epanodos* est, inquit Alexander: latine dicitur *reversio* vel *regressio*. huic finitima est illa figura quae a grammaticis dicitur *prolepsis*. Idem.

quod semel proposita iterat & dividit,

Iphitus & Pelias mecum, quorum Iphitus avo

Fam gravior, Pelias & vulnere tardus Ulyssi.

ἐπίνοδος dicitur Græce, nostri regressionem vocant. Néc solum in eodem sensu, sed etiam in diverso eadem verba contra sumuntur, *Principum dignitas erat pene par, non par fortasse eorum qui sequebantur.* Interim variatur casibus hæc & generibus iteratio: *Magnus est labor dicendi, magna res est.* Et apud Rutilium longiore ἀειδω, ¹ & hæc initia sententiarum sunt, *Pater hic tuus? patrem hunc appellas? patris tu hujus filius es?* Fit casibus modo hoc schema quod πολυπλοχόν vocant. Constat & aliis etiam modis: ut pro Cluentio, *Quod autem tempus veneni dandi? illo die? in illa frequentia? Per quem porro datum? unde sumptum? quæ porro interceptio poculi? cur non de integro autem datum?* Hanc rerum conjunctam diversitatem Cæcilius ² μετεβολών vocat: qualis est pro Cluentio locus in Oppianicum, *illum tabulas publicas violasse, Censorias corrupisse, decuriones universi judicavunt: cum illo jam nemo rationem, nemo rem ullam contraheret: nemo illum ex tam multis cognatis & affinibus tutorem unquam liberis suis scripsit.* & deinceps adhuc multa. Ut hæc in unum congeruntur, ita contra illa dispersa sunt, quæ à Cicerone dissipata dici puto,

Hic segetes, illic veniunt feliciter uva,

Arborei fetus alibi, & deinceps.

Illam vero apud Ciceronem mira figurarum mixtura deprehenditur, in qua & primo verbo longo post intervallo redditum est ultimum, & media primis, & mediis ultima congruunt: *Vestrum jam hic factum deprehenditur, Patres conscripti, non meum: ac pulcherrimum quidem factum: verum, ut dixi, non*

meum,

¹ Et hæc initia sententiarum sunt.] Apud Rutilium Lupum prolixior est periodus, sumpta ex Carisio oratore. Fabius duntaxat initia sententiarum sumpsit, in quibus est polyptoton. Idem.

² Μετεβολών vocat.] Alexander Numenius appellat μετεβολών partium

mutationem totarum vel in membris vel incisis. Idem. Cæcilius μετεβολών.] Meminit etiam hujus Cæcili Rhetoris, Plutarchus, nec non Dionys. Longinus principio Commentarios ἀειδω ὕψης. Muretus Var. Lect. lib. 19. cap. 2.

1 Πολοκλόν

meum, sed vestrum. Hanc frequentiore repetitionem ¹ πλοκῶν vocant, quæ fit ex permixtis figuris, ut supra dixi, utque se habet epistola ad Brutum. *Ego cum in gratiam redierim cum Appio Claudio, & redierim per Cn. Pompeium, te ego ergo cum redierim.* Et in iisdem sententiis crebrioribus mutata declinationibus iteratione verborum: ut apud Persium,

-- Usque adeone

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?

Et apud Ciceronem, ² *Neque enim poterat indicio ex his damnatis qui judicabantur.* Sed sensus quoque toti quemadmodum cœperunt desinent: *Venit ex Asia, hoc ipsum quam bonum? Trib. pleb. venit ex Asia.* In eadem tamen periodo & verbum ultimum primo refertur, tertium jam sermone adjectum est, *Verumtamen venit.* Interim sententia quidem repetitur, sed eodem verborum ordine, *Quid Cleomenes facere potuit? Non enim possum quenquam insimulare falso. Quid, inquam, Cleomenes magnopere facere potuit?* Prioris sententiæ verbum ultimum, ac sequentis primum frequenter est idem: quo quidem schemate utuntur poëtæ sæpius,

Pierides, vos hac facietis maxima Gallo,

Gallo, cujus amor tantum mihi crescit in horas.

Sed ne oratores quidem raro: *Hic tamen vivit, vivit? immo vero etiam in senatum venit.* ³ Aliquando, sicut in geminatione verborum diximus, initia quoque & clausulæ sententiarum aliis, sed non alio tendentibus verbis, inter se consonant. Initia hoc modo, *Dederim periculis omnibus, obtulerim insidiis, objecerim invidia.* Rursus clausulæ: ibidem statim, *Vos enim statuistis, vos sententiam dixistis, vos judicastis.*

Hoc

¹ Πλοκῶν vocant.] Plocen appellat Fab. cum verba frequentius iterantur & quasi implicantur. Alexander Num. appellat plocen, cum verba iterantur in diversa significatione: ut, hac in re tandem Memmius erat Memmius. Turneb.

² Neque enim poterat.] Nulla videtur hoc in exemplo esse plocen. itaque aut Fab. posuit duntaxat initium periodi,

cum reliqua putaret esse cognita: aut legendum, *judicio & judicabantur*, vel *indicio & indicabantur*. Idem.

³ Aliquando, sicut in gem.] Hæc figura fit, quando permulta repetuntur verba diversa quidem, sed eandem tamen habentia sententiam. quibus accedit homæoteleuton, vel in principio vel in fine. Idem.

¹ Hoc alii μετανομιαν, alii disjunctionem vocant, utrunque (etiam si est diversum) recte. Nam est nominum idem significantium separatio. ² Congregantur quoque verba idem significantia: *Quæ cum ita sint, Catilina, perge quo cœpisti: egredere aliquando ex urbe: patent portæ: proficiscere.* Et in eundem alio libro, *Abiit, excessit, erupit, evasit.* Hoc Cæcilio πλεονασμὸς videtur, id est abundans supra necessitatem oratio: sicut illa, *Vidi oculos ante ipse meos.* In illo enim *vidi*, inest *ipse*. ³ Verum id, ut alio quoque loco dixi, cum supervacua oneratur adjectione, vitium dicitur: cum autem auget manifestam sententiam, sicut hic, *virtus: Vidi, ipse, ante oculos. quot verba, totidem sunt affectus.* Cur tamen hæc proprie nomine tali notarit, non video. Nam & geminatio, & repetitio, & qualiscunque adjectio, πλεονασμὸς videri potest. ⁴ Nec verba modo, sed sensus quoque idem facientes acervantur. *Perturbatio istum mentis, & quadam scelerum offusa caligo, & ardentes furiarum faces excitarunt.* Congeruntur & diversa: *Mulier, tyranni sæva crudelitas, patris amor, ira præceps, temeritas, dementia.* Et apud Ovidium,

Sed grave Nereidum numen, sed corniger Ammon,

Sed quæ visceribus veniebat bellua ponti

Exaturanda meis. ---

Inveni qui & hoc vocaret πλοκῶν: cui non assentio: cum sint unius figuræ mista quoque, & idem & diversum significantia, quod & ipsum Διαδαγῶν vocant: *Quæro ab inimicis, sint*

¹ Hoc alii μετανομιαν.] Non memini me legere, qui hoc schema vocaverit metonymiam. nam Alexander Numenius synonymiam appellat, propterea quod synonymia congeruntur verba: ut forte hic quoque synonymiam legere debeamus. Idem.

² Congregantur quoque.] Hanc figuram permulti vocant congeriem, alii συσθεσιμόν. Græci etiam appellare solent ἐκ τῶν Διαδαγῶν. Idem.

³ Verum id.] Fab. in cap. de ornatu, pleonasmum dicit esse vitium, cum vide-

tur habere aliquid otiosum: cum autem habet affirmationem, tum dicitur virtus. Idem.

⁴ Nec verba modo.] Idem testatur quoque Rutilius, qui synathæsum ait esse non solum in verbis, sed etiam in sententiis congestis. sed illæ duplices sunt, vel eadem, vel diversæ. Idem.

⁵ Διαδαγῶν vocant.] Antea dialagen vocavit Fab. consummationem, cum plura argumenta eodem tendunt: nunc videtur esse diversitas quædam congerendorum verborum. Nonnulli hoc loco

sint ne hac investigata, comperta, patefacta, sublata, deleta, extincta per me. Investigata, comperta, patefacta, aliud ostendunt: sublata, deleta, extincta, sunt inter se similia, sed non etiam prioribus. Et hoc autem exemplum, & superius, aliam quoque efficiunt figuram, quæ quia conjunctionibus caret, dissolutio vocatur; apta, cum quid instantius dicimus. Nam & singula inculcantur, & quasi plura fiunt. Ideoque utimur hac figura non in singulis modo verbis, sed sententiis etiam: ut Cicero dicit contra concionem Metelli, *Qui indicabantur, eos vocari, custodiri, ad senatum adduci iussi, in senatu sunt positi.* & totus hic locus. Hoc genus *βραχυλογία* vocant, quæ potest esse copulata dissolutio. Contrarium est schema, quod conjunctionibus abundat. Illud *ἀσυνδέσειν*, hoc *πολυσυνδέσειν*, dicitur. Hoc est, vel iisdem sæpius repetitis: ut,

-- *Tectumque laremque,*

Armaque, Amyclæumque canem, Cressamque pharetram.

Vel diversis,

Arma virumque. --

Multum ille & terris. --

Multa quoque & bello. --

Adverbia quoque & pronomina variantur.

Hic illum vidi juvenem. --

Bis senos. cui nostra dies, --

Hic mihi responsum primus dedit ille petenti.

Sed utrunque horum coacervatio. Etenim tantum juncta aut dissoluta omnibus scriptores sua nomina dederunt, sed varia, & ut cuique fingenti placuit. Fons quidem unus, quia acriora facit & instantiora quæ dicimus, & vim quandam præ se ferentia, velut sæpius erumpentis affectus.

Gradatio

loco enallagen legunt, propterea quod dictionum est mutatio & congregatio. Idem.

1 Hoc genus *βραχυλ.*] Multi putant hoc loco *ἀσυνδέσειν* esse legendum, propterea quod *brachylogia* nihil videtur pertinere ad *disjunctionem*. Sed tamen cum Rutilius de *brachylogia* & *brachye-*

pia loquitur, subjicit exemplum quod videtur esse *dissolutionis*. & Diomedes quoque *brachylogiam* putat esse *dissolutionem*. Idem.

2 *Amyclæumque canem.*] A Julio Pollice impiis celebrantur canes *Laconici*. *Amyclæa* autem fuerunt in *Peloponnesi* parte *Laconica*. Idem.

¹ Gradatio quæ dicitur *κλιμαξ*, apertioem habet artem, & magis affectatam, ideoque esse rarior debet. Est autem ipsa quoque adjectionis, repetit enim quæ dicta sunt: & priusquam ad aliud descendat, in prioribus resistit. ² Ejus exemplum ex Græco notissimo transferatur, *Nec hæc dixi quidem, sed nec scripsi: nec scripsi quidem, sed nec obii legationem: nec obii quidem, sed nec persuasi Thebanis.* Sunt tamen erudita & latina: *Aphricano virtutem industria, virtus gloriam, gloria amulos comparavit.* & Calvi, *Non ergo magis pecuniarum repetundarum quam majestatis, neque majestatis magis quam Plautia legis, neque* ³ *Plautia legis magis quam ambitus, neque ambitus magis quam omnium legum judicia perierunt.* Invenitur apud poetas quoque, ut apud Homerum de sceptro quod à Jove ad Agamemnonem usque deducit: & ⁴ apud nostrum etiam tragicum,

Jove propagatus est (ut perhibent) Tantalus,

Ex Tantalolo Pelops, ex Pelope autem satus

Atreus, qui nostrum porro propagat genus.

At quæ per detractionem fiunt figuræ, brevitatis novitatisque maxime gratia petuntur: quarum una est ea, quam libro proximo in figuras distuli, ⁵ *synecdoche*, cum subtractum verbum aliquod satis ex cæteris intelligitur: ut *Cælius in Antonium, Stupere gaudio Græcus.* Simul enim auditur, *cæpit.*

Cicero

¹ Gradatio.] Gradatio appellatur *κλιμαξ*, quasi *scala*, propterea quod (ut inquit Alexander) quemadmodum ab uno *scala* gradu ad alterum transcendimus, ita hic quoque ab una dictione radicimus ad aliam. Aquila Romanus *scalam* aut *gradiculos* interpretari non vult, sed *ascensum*. Cornificius vertit *gradationem*. Idem.

² Ejus exemplum ex Græco.] Demost. pro Ctesiph. Aquila aliter transtulit. Imitatus est auctor. ad Herenn. lib. 4. *Pithæus*.

³ Plautia legis.] Lex Plautia erat lata adversus eos qui per ambitum adepti fuissent magistratus. erant etiam alia leges de

ambitu, unde subjunxit dictionem generalem. Turneb.

⁴ Apud nostrum etiam tragicum.] Hos versus putant esse Senecæ, propterea quod *tragicus* appellari videtur per excellentiam. existimo tamen ex pedum mensura non esse Senecæ, sed veteris cujusdam tragici. Utcunque sit, versus hi translati sunt ex *Iphigenia Euripidis in Tauris*. Idem.

⁵ Synecdoche.] Hanc figuram appellat *ἔκθεσις* Romanus Aquila, propterea quod aliquid deest. eadem vocatur *synecdoche*. id est, *intellectio*, propterea quod intelligitur id quod deest. Idem.

I Ne

Cicero ad Brutum, *Sermo nullus scilicet nisi de te. Quid enim potius? Tum Flavius, Erras tabellarie, & ego ibidem orans inter cœnam exoravi.* Cui similia sunt illa meo quidem iudicio, in quibus verba decenter pudoris gratia subtrahuntur,

Novimus & qui te, transversa tuentibus hircis,

Et quo, sed faciles, Nymphæ risere, sacello.

Hanc quidam *apostrophin* putant, frustra. Nam illa quid taceat incertum est, aut certe longiore sermone explicandum: hic unum verbum, & manifestum quidem desideratur: quæ si *apostrophis* est, nihil in quo deest aliquid non idem appellabitur. Ne ego illud quidem *apostrophin* semper voco, in quores quæcunque relinquitur intelligenda, ut ea quæ in epistolis Cicero, ² *Data Lupercalibus, quo die* ³ *Antonius Casari, quia nihil hîc aliud intelligi poterat, quam hoc, diadema imposuit.* Altera est *per detractionem* figura, de qua modo dictum est, cui conjunctiones eximuntur. ⁴ Tertia quæ dicitur *omnes & per & per*. In qua unum ad verbum plures sententiæ referuntur, quarum unaquæque desideraret illud, si sola poneretur. ⁵ Id accidit aut præposito verbo ad quod reliqua respiciant: *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.* Aut illato, quo plura cluduntur: *Neque enim is es, Catilina, ut te aut pudor unquam à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore revocaverit.* Medium quoque potest esse, quod & prioribus & sequentibus sufficiat. ⁶ Jungit autem & *diversos* versos

¹ Ne ego illud quidem.] Etiam cum desunt interdum plures dictiones, tamen non est *apostrophis* protinus, ut in exemplo Ciceroniano, sed *synecdoche*. Idem.

² Data Lupercalibus, quo die, &c.] Vide Jan. Geßhard. Crepund. lib. 3. cap. 11. pag. 130.

³ Anto. Casari, quia nihil.] In vetustis codicibus legitur, non obtinuit, iustitque: ut sit sensus, in exemplo Ciceroniano non esse *apostrophin*, id est, *obtinuitiam*, sed duntaxat *synecdochen*, qua luserit tacere significando. Turneb.

⁴ Tertia qua dicitur, &c.] Hanc figuram vocant vulgo grammatici *zeugma*, Cornificius interpretatur *conjunctionem* & *adjunctionem*: fit autem (ut ajunt grammatici) *tribus modis*, quos persequitur Fabius. Idem.

⁵ Id accidit aut præpo.] Hanc speciem grammatici vocant *prozeugma*, cum verbum præponitur: *hypozeugma*, cum postponitur. has duas species *adjunctionem* appellat Cornificius. est & *mesozeugma*, cum verbum ponitur in medio. vocat *conjunctionem* Cornificius. Idem.

⁶ Jungit autem.] Has species grammatici

versos sexus, ut cum marem fœminamque *filios* dicimus. Et singularia pluralibus miscet. Sed hæc adeo sunt vulgaria, ut sibi artem figurarum asserere non possint. Illud plane figura est, ¹ qua diversa sermonis forma conjungitur,

— *Sociis tunc arma capebant*

Edico, & dira bellum cum gente gerendum.

Quamvis enim pars *bellum* posterior participio insistant, utrique tamen convenit illud *edico*: nam utrique detractio- nis gratia facta conjunctio. *συναίεσις* vocant, quæ duas res diversas colligat: *Tam deest avaro quod habet, quam quod non habet.* Huic diversam volunt esse distinctionem, cui dant nomen ² *παρὰ διασολῶν*, qua similia discernuntur: *Cum te pro astuto sapientem appelles, pro confidente fortem, pro illiberali diligentem.* quod totum pendet ex finitione, ideoque an figura sit dubito. Cui contraria est ea quæ ex vicinia transit ad diversa aut similia,

— *Brevis esse laboro, Obscurus fio.* & quæ sequuntur. Tertium est genus figurarum, quæ aut similitudine aliqua vocum, aut paribus, aut contrariis vertunt in se aures, & animos excitant. Huic nomen est ³ *παρωνομασία*, quæ dicitur *agnominatio*. Ea non uno modo fieri solet, sed ex vicinia quadam prædicti nominis ducta, casibus declinatur: ut *Domitius Afer pro Cloantilla, Mulier rerum omnium imperita in omnibus rebus infelix.* Et cum verbo idem verbum plus significanter subjungitur, ⁴ *Quando homo, hostis homo.* ⁵ Quibus exemplis

matici vocant *conceptionem tum generum tum numerorum*, Fabius etiam redigit ad *χρησμα*. Idem.

¹ *Qua diversa sermonis, &c.*] Nonnulli qui paulo sunt religiosiores, existimarent hoc *schemata* esse fugiendum, propterea quod efficit *ἀναγκάσθων*: ac sane raro est eo utendum, nisi in *poëmate*. Idem.

² *Παρὰ διασολῶν.*] Hæc duo schemata adhuc sunt venustiora, quando illis rationem vel *similitudinis* vel *diversitatis* subjungimus. Idem.

³ *Paronomasia.*] In omnibus veteris codicibus legitur *παρωνομασία*, quæ dictio fere idem quod *paronomasia* significat. est autem hæc figura posita in *vocis allusione per similitudinem*. Idem.

⁴ *Quando homo, hostis homo.*] Sensus est, propriam hominis esse humanitatem. non igitur homo videtur ille qui est inhumanus. itaque ad *emphasim* subjecit, *hostis homo*: sed tamen sensus non est perfectus nisi legatur per *interrogationem*. Idem.

⁵ *Quibus exemplis.*] Locus corruptus esse

exemplis sum in aliud usus, sed in uno facilius est geminatio. παρανομία ei contrarium est, quod eodem verbo quasi falsum augetur, *Qua lex privatis hominibus esse lex non videbatur.* Cui confinis est ¹ ἀντανάκλασις, ejusdem verbi contraria significatio. *Cum Proculejus quereretur de filio, quod is mortem suam expectaret, & ille dixisset, se vero non expectare: Imo, inquit, ² rogo expectes.* Non ex eodem, sed ex diverso vicinum accipitur, cum supplicio afficiendum dicas, ³ quem supplicatione dignum judicaris. Aliter quoque voces aut eadem diversa in significatione ponuntur, aut productione tantum vel correptione mutatae: quod etiam in jocis frigidum, equidem tradi inter praecepta miror: eorumque exempla vitandi potius quam imitandi gratia pono. *Amari jucundum est, sicuretur ne quid insit amari. Avium dulcedo ad avium ducit: & apud Ovidium ludentem;*

Cur ergo non dicam Furia, te furiam?

⁴ Cornificius hanc *traductionem* vocat, videlicet alterius intellectus ad alterum. Sed elegantius, quod est positum in distinguendam rei proprietatem: *Hanc reipublicae pestem paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse.* Et quae praepositionibus in contrarium mutantur, *Non emissus ex urbe, sed immissus in urbem esse videatur.* Melius atque acrius, quod cum figura jucundum est, tum etiam sensu valet, *Emit morte immortalitatem.* Illa levior est, *Non Pisonum, sed pistorum.*

&

esse videtur: poterit tamen is esse sensus, *Hæc exempla quanquam ad diversum referuntur modum, tamen in vocis geminatione figuram habere, & alioqui perspicue esse voces ita geminare, & figuram efficere.* forte etiam alio in libro est his exemplis usus. *Idem.*

¹ *Αντανάκλασις.*] *Αντανάκλασις* est, cum verbum in contrarium aut diversum sensum accipitur quam dictum fuerit. potest verti *contraria reflectio.* huic etiam parti Rutilius subjicit *antimetabolen.* *Idem.*

² *Rogo expectes.*] *Αντανάκλασις* est

in dictione *Expectare*, quæ significat *operiri & desiderare*: unde *homonymia* est petita. *Idem.*

³ *Quem supplicatione, &c.*] *Homonymia* est in dictione *Supplicium*, quæ apud Sallustium & antiquos scriptores *supplicationem & preces* significat: præterea vulgo significat *pœnam.* *Idem.*

⁴ *Cornificius hanc, &c.*] *Paronomasiam* interpretatur Cornificius *agnominationem*: *traductionem* autem vocat, cum verbum idem sæpius iteratur citra offensionem. idem tamen *traductioni* subjicit eam *exornationem* in qua verbum idem in alia atque alia re usurpat. *Idem.*

I Pater

&, *Ex oratore arator.* Pessimum vero, *Ne patres conscripti videantur circumscripti.* Raro evenit, *sed vehementer venit.* Sic contingit ut aliquis sensus vehemens & acer venustatem aliquam non eodem ex verbo non dissonam accipiat. Et cur me prohibeat pudor uti domestico exemplo? ¹ Pater meus contra eum qui se legationi immorturum dixerat, deinde vix paucis diebus insumptis re infecta redierat, *Non exigo ut immoriaris legationi, immorare.* Nam & valet sensus ipse, & in verbis tantum distantibus jucunde consonat vox præsertim non captata, sed velut oblata: cum altero suo sit usus, alterum ab adversario acceperit. ² Magnæ veteribus curæ fuit, gratiam dicendi è paribus contrariis acquirere. Gorgias in hoc immodicus, copiosus utique prima ætate Isocrates fuit. Delectatus est his etiam M. Tullius, verum & modum adhibuit non ingratae (nisi copia redundet) voluptati, & rem alioqui levem, sententiarum pondere implevit. Nam per se frigida & inanis affectatio cum in acris incidit sensus, innata videtur esse, non accersita. Similium fere quadruplex ratio est. Nam est primum, quoties verbum verbo simile, aut non dissimile valde quæritur: ut,

— *Puppæque tuæ, pubesque tuorum.* &, *Si in hac calamitosa fama, quasi in aliqua perniciosissima flamma.* &, ³ *Non enim tam spes laudanda, quam res est.* Aut certe par est extremis syllabis consonans, *Non verbis, sed armis.* Et hoc quoque quoties in sententias acres incidit, pulchrum est, *Quantum possis, in eo semper experiri ut prosis.* Hoc est ⁴ *πείρασον*, ut plerisque

¹ Pater meus] Quintiliani pater optimus fuit declamator: idem etiam aliquando *causidicus* apud principem. *Idem.*

² Magnæ veteribus, &c.] Gorgias & Thrasymachus, veteresque sophistæ, tres imprimis confectabantur concinnitates, *paria paribus adjuncta, contraria contrariis relata, & homoteleuta.* Isocrates quoque his plurimum juvenis est usus, senex tamen in oratione ad Philippum scribit hæc se omisisse. *Idem.*

³ Non enim tam spes, &c.] In Fanio: *Causa difficilis laudare puerum, non enim res laudanda, sed spes est.* *Pitb.*

⁴ Πείρασον.] *Parison* appellat Aquila Romanus, quando membra orationis pene sunt equalia. aliter Fab. accipere videtur, quoties verbum verbo simile aut non dissimile valde quæritur. vertitur ab Aquila Romano, *prope æquatam.* Turnebus.

que placuit. Cleosteus *πείραζον* existimat, quod fit è membris non dissimilibus. Secundum, ut clausula similiter cadat, vel iisdem in ultimam partem collatis, *ὁμοιοτέλειον*, similem duarum sententiarum vel plurium finem. Non modo ad salutem ejus extinguendam, sed etiam gloriam per tales viros infringendam. Ex quibus fere sunt, non tamen ut semper ultimis consonent, quæ *τεικωλα* dicunt, *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia*. Sed in quaternas quoque ac plures hæc ratio ire sententias potest. Fit etiam singulis verbis, *Hæc cubat, dolet, piget, pudet. & Abiit, excessit, erupit, evasit*. Tertium est quod in eisdem casus cadit, *ὁμοιοπύων* dicitur. Sed neque quod finem habet similem, est *ὁμοιοπύων*: utique in eundem finem venit *ὁμοιοτέλειον*. Est enim *ὁμοιοπύων* tantum casus similis, etiam si dissimilia sint quæ declinentur: nec tantum in fine deprehenditur, sed respondent vel prima inter se, vel mediis, vel extremis: vel etiam permutatis his, ut media primis, & summa mediis accommodentur, & quocunque modo accommodari poterunt. Nec enim semper paribus syllabis constat: ut est apud Afrum, *Amisso nuper infœlicis aulæ, si non præsidio inter pericula, tamen solatio vitæ inter adversa*.¹ Ea vero videntur optima, in quibus initia sententiarum & fines consentiunt: ut hîc, *Præsidio, solatio*. Et ut pene similia sint verbis, & paribus cadant, & eodem desinant modo.² Etiam ut sint, quod est quartum, membris æqualibus, quod *ισόκωλον* dicitur, *Si quantum in agro locisque desertis audacia potest, tantum in foro atque judiciis impudentia valeret*. *ισόκωλον* est, & *ὁμοιοπύων* habet. *Non minus nunc in caussa cederet Aulus Cecinna Sexti Ebutii impudentiæ, quam tum in vi facienda cessit audaciæ*. *ισόκωλον, ὁμοιοπύων, ὁμοιοτέλειον*. Accedit & ex illa figura gratia, qua nomina dixi mutatis casibus repeti, *Non minus cederet,*

¹ *Ea vero.*] Hæc species si sæpius usurpetur, nimiam ostendit affectationem propter magnam exornationem. *Idem.*

² *Etiam ut sint.*] Quarta species di-

citur *Isoclonon*, quando membra periodi æqualia sunt. vertitur ab Aquila Romano ex æquatum, dicitur à Cornificio compar. *Idem.*

cederet, quam cessit. Adhuc ὁμοιοτέλειον, & παρανομασία est, Neminem posse alteri dare matrimonium, nisi quem penes sit patrimonium. ¹ Contrapositum autem, vel, ut quidam vocant, contentio (ἀντιθέσις dicitur) non uno fit modo. Nam & fit si singula singulis opponuntur: ut in eo quod modo dixi, *Vicit pudorem lidido, timorem audacia.* Et bina binis, *Non nostri ingenii, vestri auxilii est.* Et sententiæ sententiis, *Dominetur in concionibus, jaceat in judiciis.* Cui commodissime subjungitur & ea species quam distinctionem diximus, *Odit populus Romanus privatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit.* Et quæ sunt simili casu, dissimili sententia in ultimo locata: ut, *Quod in tempore mali fuit, nihil obsit: quin quod in causa boni fuit, profit.* Nec semper contrapositum subjungitur, ut in hoc, *Est enim hæc, iudices, non scripta, sed nata lex.* Verum, sicut Cicero dicit, quod de singulis rebus propositis refertur ad singula: ut in eo quod sequitur, *Quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus.* Nec semper quod adversum est, contraponitur, quale est apud Rutilium, ² *Nobis primum dii immortales fruges dederunt, nos quæ soli accepimus, in omnes terras distribuimus. Nobis majores nostri Rempubl. reliquerunt: nos etiam socios nostros de servitute eripimus.* Fit etiam assumpta illa figura, qua verba declinata repetuntur, quod ³ ἀντιμετέθεσσις dicitur, ⁴ *Non ut edam vivo, sed ut vivam edo.* Et quod apud Ciceronem conversum ita est, ut cum mutationem casus habeat, etiam similiter desinat: *Ut & sine invidia culpa plectatur, & sine culpa invidia*

¹ *Contrapositum autem.] Antitheton fit, quando oratio constat verbis contrariis. neque tamen hoc est ita exacte accipiendum: satis est enim dum insit verbis similitudo contrarietatis. Idem.*

² *Nobis primum.] Hoc exemplum sumptum est ex Isidoro oratore Græco. loquitur autem de Atheniensibus, quibus Ceres primum fruges communicavit, quas postea in omnes terras distribuerunt. Idem.*

³ *Αντιμετέθεσσις dicitur.] Hanc figuram interpretatur Cornificius commutationem. in qua sententiæ commutatis verbis contrariæ fiunt. cæterum hæc sententia tribuitur Socrati, qua significabat se sobrium, & alios increpabat ut ventri deditos. Idem.*

⁴ *Non ut edam vivo, &c.] Macrob. II. Saturn. Socrates dicebat homines multos propterea velle vivere, ut ederent & biberent: se bibere atque esse ut viveret. Pith.*

I Sexto.]

*invidia ponatur. Quod & eodem clauditur verbo: ut quod dici de ¹ Sexto Roscio, Etenim cum artifex ejusmodi sit, ut solus dignus videatur esse ² qui scenam introeat: tum vir ejusmodi sit, ut solus videatur dignus qui eò non accedat. Est & in nominibus ex diverso collocatis sua gratia, Si Consul Antonius, Brutus hostis: si conservator reipublicæ Brutus, hostis Antonius. ³ Olim plura de figuris quam necesse erat: & adhuc erit qui putet esse figuram, Incredible est quod dico, sed verum, ἀντιπροσῳδὸν vocant. &, Aliquis hoc semel tulit, ego bis, ego ter. ⁴ Διέξοδον, ἀφῳδον Longius evectus sum, sed redeo ad propositum. ⁵ Quædam verborum figuræ paulum figuris sententiarum declinantur, ut *dubitatio*. Nam cum est in re, priori parti assignanda est: cum in verbo, sequenti: *Sive me malitiam, sive stultitiam dicere oportet*. Item correctionis eadem ratio est. Nam quod illic *dubitat, hinc emendat*. Etiam in personæ fictione accidere quidam idem putaverunt, ut in verbis etiam esset hæc figura, *Crudelitatis est mater avaritia*.⁶ Et apud Sallustium in Cicero-nem, *O Romule Arpinas*. quale est & apud Menandrum ⁷ *Oedipus Othryasius*. Hæc omnia copiosius sunt executi, qui non ut partem operis transcurrerunt, sed proprie libros huic operi dedicaverunt, sicut *Cacilius, Dionysius, Sutilius, Cornificius, Visellius*: alique non pauci. ⁸ sed non minor erit eorum*

¹ *Sexto.*] leg. Q.

² *Qui in scenam introeat.*] Id ait propterea quod scenici artifices, ut *Comædi*, infamia notabantur, qua indignus erat *Roscus*, cum esset vir probus. *Turnebus*.

³ *Olim plura.*] Videtur innuere Fab. vel se plura scripsisse de figuris in quodam libro, vel se plura in posterum scripturum. præterea more suo, ut in figuris sententiarum fecit, quasdam reddit species, quæ à quibusdam figuræ appellantur, cum tamen figuræ non sint. *Idem*.

⁴ *Διέξοδον.*] *Διέξοδος* latine dicitur *transitio*, cum ab uno loco ad alterum transimus. *ἀφῳδον* vero est *re-gressio*, quando ex digressionem reverti-

mur ad propositum. *Idem*.

⁵ *Quædam verborum fig.*] *Figuræ quædam* ambigunt, quoniam servata eadem appellatione, nunc ad sententiam, nunc ad verba referri debent. *Idem*.

⁶ *Et apud Sallustium in Cicero-nem, &c.*] Vide *Turneb.* *Adversar.* l. 16. c. 7.

⁷ *Oedipus Othryasius.*] Vix potest intelligi hæc *presopœia*, cum desideretur *Menandri comædia*: tamen intelligi poterit de quodam *Thessalo*, qui diceret se nobilem esse *Thebanum*. *Othris* autem mons est *Thessaliæ*. quidam legunt *Odrisius*, id est, *Thrax*. *Turneb.*

⁸ *Sed non minor erit, &c.*] *Quidam* ajunt intelligi hoc de *Plinio*, qui oratorem ab ipsis *incunabilis* instituit. alii

eorum qui vivunt, gloria. Ut fateor autem verborum figuras posse plures reperiri à quibusdam, ita iis quæ ab auctoribus claris traduntur, meliores, non assentior. Nam in primis M. Tullius multas in tertio de oratore libro posuit, quas in oratore postea scripto transeundo videtur ipse damnasse: quarum pars est quæ sententiarum potius quam verborum fit, ut *imminutio*, ¹ *improvisa imago*, *sibi ipsi responsio*, *digressio*, *permissio*, *contrarium*, hoc enim puto quod dicitur ἐναντιότης, sumpta ex adverso probatio. Quædam omnino non sunt figuræ, sicut *ordo*, *dinumèratio*, *circumscriptio*: sive hoc nomine significatur comprehensa breviter sententia, sive finitio. ² Nam & hæc Cornificius atque Rutilius schemata λέξεις putant. Verborum autem concinna transgressio, id est *hyperbaton*, quod Cæcilius quoque putat *schema*, à nobis est interposita. Et *mutatio*: quæ si ea est, quam Rutilius ἀλλοίωσιν vocant, dissimilitudinem ostendit hominum, rerum, factorumque: ³ si latius fiat, figura non est: si angustius, in ἀντίτερον cadet. Si vero hæc appellatio significat ὑπαλλαγή, satis de ea dictum est. Quod vere *schema* est, ad propositum subjecta ratio? Utrum quod Rutilius ⁴ αἰπολογία vocat? nam de illo dubitari possit an *schema* sit distributis subjecta ratio. Quod apud eundem primo loco positum est, ⁵ προσηπόδσις dicitur, quæ ut maxime fervetur, sane est in pluribus propositis: quia aut singulis statim ratio subjicitur: ut est ⁶ apud C. Antonium.

de *Virginio*, qui vixit tempore Fabii.

Idem.

¹ *Improvisa imago.*] Locus hic videtur depravatus, estque legendum, *improvisum*, deinde *imago*, ut apparet ex Cicerone. Idem.

² *Nam & hæc Cornificius.*] Cornificius lib. 4. ad Herennium, *sententiam & finitionem* ponit inter *figuras dictionum*. Idem.

³ *Si latius fiat, &c.*] Id videtur dicere Fab. propterea quod si tractetur illa *dissimilitudo*, jam quaestio erit de eodem & alio, quæ refertur ad *finitionem*: itaque *figura* non erit. Idem.

⁴ *Αἰπολογία.*] In vetustis codicibus legitur ἀπολογία. id est, *purgatio*, quæ quanquam excusando reddit rationem facti, non tamen satis implet *figuram*. & alioqui apud Rutilium αἰπολογία legitur. id est, *redditiio causæ*. Idem.

⁵ *Προσηπόδσις.*] Προσηπόδσις (ut inquit Rutilius) dicitur, cum *propositis* quibusdam ratio subjungitur. videtur etiam Fab. innuere *προσηπόδσιν*, subjectam ad propositum rationem. Idem.

⁶ *Apud C. Antonium.*] Non est hic Antonius orator, qui inducitur apud Cic.

tonium. Sed neque accusatorem eum metuo, qui sum innocens: neque competitorem vereor, qui sum Antonius: neque consulem spero, qui est Cicero. Aut positus duobus vel tribus, eodem ordine singulis continuo redditur: quale apud Brutum de dictatura Cn. Pompeii, *Præstat enim nemini imperare, quam alicui servire. sine illo enim vivere honeste licet, cum hoc vivendi nulla conditio est.* Sed uni rei multiplex ratio subicitur: ut apud Virgilium,

*Sive inde occultas vires, & pabula terra
Pinguia concipiunt, sive illis omne per ignem*

Excoquitur vitium. ---

Seu plures calor ille vias, ---

Seu durat magis. ---

& totus locus.

¹ Relationem quid accipi velit, non mihi liquet. Nam si *ἐπαναγγελῶ* aut *ἐπιάνοδον*, aut *ἀνημετέρολῶ* dicit, de omnibus locuti sumus. Sed quicquid id est, neque hoc neque superiora in oratore repetit. Sola est in eo libro posita pariter inter figuras verborum, *exclamatio*, quam sententiæ potius puto. affectus enim est, & cæteris omnibus consentio. Adjicit his Cæcilius *ἐξίφεσιν*, de qua dixi. Cornificius *interrogationem, ratiocinationem, subjectionem, translationem, occultationem, præterea sententiam, membrum, articulum, interpretationem, conclusionem.* quorum priora alterius generis sunt schemata, sequentia schemata omnino non sunt. Item Rutilius præter ea quæ apud alios quoque sunt schemata, ³ *παρημολογίαν, ἀναγκασίον, ἠθοποιίαν, διωξιλογίαν, ἀεθλήσιν, 4* *καρκαλισμὸν, βραχυλογίαν, 5* *παρσιώπησιν, ** *περρησίαν*, de quibus idem

Cic. in libris oratoris, sed Ciceronis in consulatu competitor, adversus quem Cic. dixit in toga candida. Idem.

¹ Relationem.] Quidam tamen relationem accipere malunt epanaphoram, ut Aquila Romanus. est autem species repetitionis. Idem.

² Occultationem.] Suspicio depravatum esse codicem, legendumque occulta-

tionem. nam occultatio non reperitur apud Cornificium. Idem.

³ Παρημολογίαν.] Quando aliquid ultro confitemur, & postea majus inferimus & gravius. Idem.

⁴ Καρκαλισμὸν.] Fit hæc figura cum veluti quibusdam coloribus delineamus aut personam aut vitam alicujus. Idem.

⁵ Παρσιώπησιν.] Cum dicimus nos aliquid

idem dico. Nam eos quidem auctores, qui nullum prope finem fecerunt exquirendis nominibus, præteribo: qui etiam quæ sunt argumentorum, figuris adscripserunt. Ego illud de iis etiam quæ vere sunt, adjiciam breviter, sicut ornant orationem opportune positæ, ita ineptissimas esse cum immodice petuntur. Sunt qui neglecto rerum pondere, & viribus sententiarum, si vel inania verba in hos modos depravarint, summos se judicent artifices, ideoque non desinunt eas nectere: quas sine sententia sectari tam est ridiculum, quam quærere habitum, gestumque sine corpore. Sed ne hæ quidem quæ recte fiunt, densandæ sunt nimis; nam & *vultus mutatio*, *oculorumque conjectus*, multum in actu valet: sed si quis ducere os exquisitis modis, & frontis ac luminum inconstantia trepidare non desinat, rideatur. Et oratio habeat rectam quandam velut faciem: quæ ut stupere immobili rigore non debebit, ita sæpius in ea quam natura dedit specie continenda est. Sciendum vero in primis, quid quisque in orando postulet *locus*, quid *persona*, quid *tempus*. Major enim pars harum figurarum posita est in delectatione. Ubi vero atrocitate, invidia, miseratione pugnandum est, quis ferat contrapositis, & pariter cadentibus, & consimilibus irascentem, flentem, rogantem? cum in his rebus cura verborum derogat affectibus fidem: & ubicunque ars ostentatur, veritas abesse videatur.

aliquid tacere, quod tamen tacitum satis intelligitur. Idem.

* Περὶ ῥητορικῆς.] Vide Vossium Institut. Orator. lib. 5. p. 414.

I Sed si quis ducere os exquisitis.] Videndus Lud. Cresfollius Vacat. Autumnal. libro 2. capite 7. sectione 2. pag. 214. 215.

C A P. I V.

De compositione.

4 DE *compositione* non equidem post Marcum Tullium scribere auderem (cui nescio an ulla pars operis hujus sit

EXordium est *prolepiticum*: nam veniam præfatur quod post Cic. de *compositione* scribat. subnectit eorum reprehensionem, qui *compositionem* vituperant. postremo

fit magis elaborata) nisi ¹ & ejusdem ætatis homines ² scriptis ad ipsum etiam literis reprehendere ³ id collocandi genus ausi fuissent, & post eum plures multa ad eandem rem pertinentia memoriæ tradidissent. Itaque accedam in ple-
risque Ciceronis, atque in iis ero quæ indubitata sunt, bre-
vior: in quibusdam paulum fortasse dissentiam. Nam etiam
cum iudicium meum ostendero, suum tamen legentibus
relinquam. ⁴ Neque ignoro quosdam esse, qui curam omnem
compositionis excludant, atque illum horridum sermonem,
ut forte effluxerit, modo magis *naturalem*, modo etiam ma-
gis *virilem* esse contendant. ⁵ Qui si id demum *naturale* esse
dicunt, quod à natura primum ortum est, & quale ante cul-
tum fuit, tota hæc ars orandi subvertetur. Neque enim lo-
quuti sunt ad hanc regulam & diligentiam primi homines,
nec proæmiis *preparare, docere* expositione, argumentis
probare, affectibus commovere scierunt. Ergo his omnibus,
non sola compositione caruerunt: quorum si fieri nihil me-
lius licebat, ne domibus quidem ⁶ *casas*, aut vestibibus pel-
lium tegmina, aut urbibus montes ac sylvas mutari oportuit.
Quæ porro ars statim fuit? quid non cultu nitescit? cur vi-
tes coërcemus manu? cur eas fodimus? rubos arvis excidi-
mus? terra & hæc generat. mansuefacimus animalia? in-
domita

postremo addit præcepta *compositionis*,
quæ est *apta verborum structura, in ordine,*
junctura, numero posita. Turneb.

¹ *Et ejusdem ætatis hom.*] Brutus ipse
lib. xv. ad Att. Ep. *Pith.*

² *Scriptis ad ipsum.*] Calvus enim scri-
ptis ad Cic. epistolis, *Cicronem* appel-
lavit *solutum & enervem*: Brutus *fractum*
& *clumbem*. quinetiam (ut scriptum est
quintodecimo epist. ad Attic.) cum
Bruti mandato Cicero de *compositione*
scripsisset, tamen iudicium Ciceronis
de *compositione* Bruto displicuit. *Tur-*
nebus.

³ *Vel collocandi genus.*] In vetustis co-
dicibus legitur, *id collocandi genus*, ut si-
gnificetur *ea compositio*, quam probavit

Cic. in *Orat. perfecto.* Idem.

⁴ *Nec ignoro.*] *Quidam Fabii* tempore
erant *antiquarii*, qui *antiquorum* horro-
rem, ut *Catonis*, imitabantur, *cul-*
tamque negligebant *compositionem*, quod
ea putarent orationem *effæminari.* Idem.

⁵ *Qui si id demum.*] Ut refuter eo-
rum opinionem, distinguit *appellationis*
significationem, à qua vel *absurdum* col-
ligit, vel *naturalem esse compositionem.*
Idem.

⁶ *Casas.*] Vitruvius lib. 2. archite-
cturæ, ait *primos mortales casas incoluisse.*
iidem etiam cum ignorarent artem te-
xendi, *vestiebantur pellibus animalium:* ne-
que dum ædificatis urbibus, *sylvas inco-*
lebant. Idem.

domita nascuntur. ¹ Verum id est maxime naturale, quod fieri natura optime patitur. Fortius vero quàm incompositum potest esse, quam junctum, & bene collocatum? Neque si parvi pedes vim detrahant rebus, ut ² *Sotadeorum*, & ³ *Galliamborum*, & quorundam in oratione simili pene licentia lascivientium, compositionis est judicandum. Cæterum ⁴ quanto vehementior fluminum cursus est prono alveo, ac nullas moras objiciente, quam inter obstantia saxa fractis aquis ac reluctantibus, tanto quæ connexa est, & totis viribus fluit, fragosa atque interrupta melior oratio. Cur ergo vires ipsas specie solvi putent, quando nec ulla res sine arte satis valeat, & comitetur semper artem decor? An non eam quæ emissa optime est hastam speciosissime contortam ferri videmus? & arcu dirigentium tela, quo certior manus, hoc est habitus ipse formosior? ⁵ Jam in certamine armorum, atque in omni palæstra quid satis recte cavetur ac petitur, cui non artifex motus, & certi quidam pedes adsint? Quare mihi compositione velut amentis quibusdam nervisve intendi & concitari sententiæ videntur. ⁶ Ideo eruditissimo cuique persuasum est, valere eam quamplurimum, non ad delectationem modo, sed ad motum quoque animorum. Primum, quia nihil intrare potest in affectum, quod in aure velut quodam vestibulo statim offendit. Deinde quod *natura ducimur*

¹ *Verum id est.*] Opponit aliam naturalis significationem, quam sequitur, & ex qua colligit naturalem esse compositionem. hoc autem additur vice epiphonematis. Idem.

² *Sotadeorum.*] *Sotadei* versus sunt, nunc jambici, nunc trochaici, nunc dactyli, nunc anapestici: qui retrorsum etiam leguntur, & efficiunt quoddam genus carminis. Idem.

³ *Galliamborum*] In quibusdam *Callimachiorum* legitur, à *Callimacho* poëta, qui versus jambicos exiles composuit. Sunt tamen *Galliambi* versus quidam trochaici apud Terentianum. nonnulli legunt *Polyambos*, qui versus sunt jam-

bici, qui retrorsus leguntur. Idem.

⁴ *Quanto vehementior fluminis.*] Gebhard. Crepund. libro 1. capiti 16. pag. 52.

⁵ *Jam in certamine.*] Hic locus ductus est ex oratore ad Brutum. nam ait illic Cicero ineptos esse in certamine armorum qui sunt apalæstri. id est, qui carent motus decentia: quam qui habent, optimi fiunt gladiatores. Turneb.

⁶ *Ideo eruditiss. cuique.*] Cic. quoque in orat. ad Brutum scribit non tantam fuisse futuram Demosthenis eloquentiam, nisi ejus oratio numeris contorta serretur. ea res enim movet auditorem & incendit. Idem.

I Ad

ducimur ¹ ad modos. Neque enim aliter eveniret ut illi quoque organorum soni, quanquam verba non exprimunt, in alios tamen atque alios motus ducerent auditorem. In certaminibus sacris non eadem ratione concitant animos ac remittunt: nec eosdem modos adhibent cum bellicum est cānendum, & cum posito genu supplicandum: nec idem signorum concentus est procedente ad prælium exercitu, idem receptui carmen. ² Pythagoreis certe moris fuit, & cum evigilassent, animos ad lyram excitare, quo essent ad agendum erectiores: & cum somnum peterent, ad eandem prius lenire mentes, ut si quid fuisset turbidiorum cogitationum, componerent. ³ Quod si numeris & modis inest quædam tacita vis, in oratione est vehementissima: quantumque interest, sensus idem quibus verbis efferatur, tantum verba eadem qua compositione vel in exitu jungantur, vel sine claudantur. Nam quædam & sententiis parva, & elocutione modica, virtus hæc sola commendat. ⁴ Denique quod cuique visum erit vehementer, dulciter, speciose dictum, solvat & turbet: abierit omnis vis, jucunditas, decor. Solvit quædam sua in oratore Cicero. Nam neque me divitia movent, quibus omnes Africanos & Lelios multi venalitiū mercatoresque superarunt: Immuta paululum, ut sit, Multi superarunt mercatores, venalitiique, & sequentes deinceps periodos: quas si ad illum modum perturbes, velut fracta aut transversa tela projeceris. ⁵ Idem corrigi quæ à Graccho composita durius putat. Illum decet, nos hac sumus probatione

¹ Ad modos.] Modus Phrygius solet ad arma incitare, modus autem Doricus aptus est religioni. Idem.

² Pythagoreis certe.] Hoc exemplum ducit Fab. ex quarta Tusculana. Animi porro languidi fiunt somno, vigiliis quoque propter actiones fiunt turbidiores: unde tumultuosus sequitur sopor. merito igitur animos componebant ad lyram Pythagorei. Idem.

³ Quod si numeris.] Oratio multo magis movere debet quam organa musica,

quia non solum canit, verum etiam loquitur. Idem.

⁴ Denique quod.] Probatio est à contrario, estque locus ex oratio. Cic. ductus. si quis enim aptam periodum solverit, sententia non æque placebit, & jucunditas aberit. Idem.

⁵ Idem corrigi.] Ut abesse non potest, quin ejusdem hominis sit probos improbare, qui improbos probet. dicendum enim erat, qui improbos probet, probos improbare. Idem.

tione contenti, quod in scribendo quæ se nobis solutiora obtulerint, componemus. Quid enim attinet eorum exempla quarere, quæ sibi quisque experiri potest? illud notasse satis habeo, quo pulchriora & sensu & elocutione dissolveris, hoc orationem magis deformem fore: quia negligentia collocationis ipsa verborum luce deprehenditur. ¹ Itaque ut confiteor pene ultimam oratoribus artem *compositionis*, quæ perfectæ sit, contigisse: ita illis priscis habitam intercuras, in quantum adhuc profecerant, puto. ² Neque mihi quamlibet magnus auctor Cicero persuaserit, Lysiam, Herodotum, Thucydidem, parum studiosos ejus fuisse. Genus fortasse sint secuti non idem quod Demosthenes, aut Plato, quanquam & ii ipsi inter se dissimiles fuerunt. Nam neque illud in Lysia dicendi textum tenue atque rarum lætioribus numeris corrumpendum erat. Perdidisset enim gratiam, quæ in eo maxima est, simplicis atque in affectati coloris: perdidisset fidem quoque. ³ Nam scribebat aliis, non ipse dicebat: ut oportuerit esse illa rudibus & incompositis similia: quod ipsum *compositio* est. ⁴ Et historiæ (quæ currere debet ac ferri) minus convenissent interstitentes clausulæ, & debita actionibus respiratio, & cludendi inchoandique sententias ratio. ⁵ In concionibus quidem etiam similiter

¹ *Itaque ut confiteor.*] Cic. in Orat. perfecto *numerofam compositionem* ait inventam à *Thrasymacho Calchedonio & Gorgia Leontino*: sed illi tamen *numeris* male utebantur. eos itaque *Isocrates* emendavit, primusque est apte *numericus* usus. *Idem.*

² *Neque mihi.*] In oratore Cic. his authoribus *numeros* detrahit: qua in re secutus est *Aristotelem*, qui idem scribit lib. 3. ad *Theodectem*. sed *Fabrus* mavult sequi opinionem *Dionysii Halicar.* qui *Herodoto & Thucydidi numeros* tribuit. & alioqui hoc totum caput mutuatus est à *Dionysio*. *Idem.*

³ *Nam scribebat.*] Propter legem quæ Athenis erat, *ne quis causa sua patro-*

num adhiberet. fraus enim legi fiebat, atque oratores aliis orationes scribebant. *Idem.*

⁴ *Et historiæ.*] Cic. ait propriam esse *historiæ compositionem tractam & fluentem.* illa autem non interstitit clausulis periodorum, sed perpetuo fertur cursu, dum ad exitum rei pervenerit. Unde *Arist.* appellat *infinitam compositionem.* *Idem.* *Et historiæ, &c.*] Quæ tamen frequentes sunt *Thucyd.* *Pith.*

⁵ *In concionibus.*] *Dionysius Halicarnassensis* in lib. de *Idiomatibus Thucydidi*, annotat in *Thucydide numerosam compositionem & multas figuras.* inde mutuatus est hunc locum *Fabius.* *Turneb.*

militer cadentia quædam, & contrapofita deprehendas: in Herodoto vero cum omnia (ut ego quidem sentio) leniter fluant, tum ipsa *Ἀγλαία* habet eam jucunditatem, ut latentes etiam numeros complexa videatur. Sed de propositorum diverfitate post paulum. Nunc quæ prius iis qui recte componere volent, difcenda funt. ¹ Est igitur ante omnia *oratio* alia *vinctæ*, atque *contexta*: *foluta* alia, qualis in fermone & epiftolis: nifi cum aliquid fupra naturam fuam tractant, ² ut *de philofophia*, *de republica*, fimilibufque. Quod non eo dico, quia non illud quoque folutum habeat fuos quofdam, & fortitan difficilioref etiam pedes: neque enim aut hiare femper vocalibus, aut deftitui temporibus volunt fermo & epiftola: fed non fluunt, nec cohærent, nec verba de verbis trahunt: ut potius laxiora in his vincula, quam nulla funt. Nonnunquam in cauffis quoque minoribus decet eadem fimplitas, quæ non illis, fed aliis utitur numeris, difsimulatque eof, & tantum communit occultius. ³ At illa connexa ferief tres habet formas: *Incifa*, quæ *ἰσχυρὰ* dicuntur: *Membra*, quæ *κῶλα*, & *ἑίσοδοι*, quæ eft vel ambitus, vel circumductum, vel *continuatio*, vel *conclufio*. In omni porro compositione tria funt neceffaria, *ordo*, *junctura*, *numerus*. Primum igitur *de ordine*. Ejus obfervatio in verbis eft fingulis, & contextis. Singula funt quæ diximus *ἀσπίδες*. In his cavendum eft, ne decrefcant oratio, & fortiori fubjungatur aliquid infirmius, ut *sacrilego fur*, aut *latroni petulans*. ⁴ Augeri enim debent

fenten-

¹ Est igitur.] Romanus Aquila triplicem facit orationem: *folutam*, qualis eft in *epiftolis*: *tractam*, quam *perpetuam* appellat, qualis eft in *hifloriis*: & *periodicam*, quæ certo ambitu comprehenditur, qualis eft in *orationibus*. hæc numeros habet, *foluta* prope nullos, *tracta* quofdam habet, fed minus evidentes. Idem.

² Ut de philofophia.] Quemadmodum epiftolæ Senecæ de *moralis philofophia* tractant, & ideo multos habent numeros. Idem.

³ At illa connexa.] *Incifum* & *membrum* nonnunquam funt *periodi* partes, fæpenumero etiam *citra periodum* in oratione ponuntur, ut cum loquimur *cæfim* & *membratim*. eft autem *membrum*, quod pluribus verbis aliquid abfolvit: *comma*, quod duobus aut pluribus verbis nihil abfolutum fignificat. Idem.

⁴ Augeri enim debent.] Hoc præceptum valet utique in *affirmatione*. nam in *negatione* contrarium eft obfervandum, ut à *majoribus* descendamus ad *minora*. Idem.

sententiæ, & insurgere: ut optime Cicero, *Tu, inquit, istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate.*
¹ Aliud enim majus alio supervenit. At si cœpisset à toto corpore; non bene ad latera faucesque descenderet. Est & alius naturalis ordo, ut *viros ac foeminas, diem ac noctem, ortum & occasum* dicas potius ² quam retrorsum. ³ Quædam ordine permutato fiunt supervacua, ut *fratres gemini*. Nam si præcesserint *gemini, fratres* addere non est necesse. ⁴ Illa nimia quorundam fuit observatio, ut *vocabula verbis, verba rursus adverbis, nomina appositis, & pronomibus* rursus essent priora. Nam fit contra quoque frequenter non indecore. Necnon & illud nimix est superstitionis, ut quæque sint tempore, ea facere etiam ordine priora: non quin frequenter fit hoc melius, sed quia interdum plus valent ante gesta, ideoque levioribus superponenda sunt. *Verbo sensum cludere*, multo, si compositio patiatur, optimum est. In verbis enim sermonis vis inest. At si id asperum erit, cedat hæc ratio numeris, ut fit apud summos Græcos Latinosque oratores frequentissime. Sine dubio enim omne ⁵ quod non cludet, *hyperbaton* est. Ipsum hoc inter tropos vel figuras quæ sunt vir-

¹ Aliud enim majus alio supervenit.]
 Alio quædam est conditio compositionis in negando quam in affirmando; quia diversum his ab illo ordinem tenemus, id est, retrogradum: ut si dicenti: Ego tibi semper favi, semper benefeci, semper donavi, sæpe etiam vitam restitui. Respondeas: Tu mihi nunquam vitam restitui, nunquam donasti, nunquam benefecisti, nunquam favisti. in utroque modus augendi est. Auget enim hic posterior parvitatem beneficii aut arte in hoc quoque minuendi genere aliud majus supervenit. Majus enim censetur quod magis efficit. Laur. Vall. *Pithæus*.

² Quam retrorsum.] In vetustis codicibus legitur, *quanquam & retrorsum*, ut significet Fabius hoc præceptum non ita perpetuum esse, ut non aliquando

contra facere liceat, ut & fecerunt plerique auctores. *Turneb.*

³ Quædam ordine permut.] Præcipiunt quoque ut nomina *communia specialibus* præponantur, *specialia propriis*, ut *urbs Roma*, non *Roma urbs*. Cic. tamen dixit, *geminos fratres*, lib. 2. de Divinatione. sic dicitur *Taurus mons*, & *Bragada flumen*, ab authoribus. *Idem.* Quædam ordine permutato fiunt supervacua, ut *fratres gemini*.] Vide Vossium *Institut. Orator. lib. 4. v. p. 55.*

⁴ Illa nimia, &c.] Hæc duo præcepta sequentia translata sunt ex *Dionysio Halicarnessio*. *Turneb.*

⁵ Quod non cludet, hyperbaton est.] Alias, in *hyperbato* est. Si suapte natura ordo non constat, nec numerus, oratio est convertenda atque commutanda. est autem hoc *hyperbaton* laudabile. *Idem.*

¹ Meccæ-

virtutis, receptum est. Non enim ad pedes verba dimensa sunt: ideoque ex loco transferuntur in locum, ut jungantur quo congruunt maxime: sicut in structura saxorum rudium, etiam ipsa enormitas invenit cui applicari, & in quo possit insistere. Fœlicissimus tamen sermo est, cui & rectus ordo, & apta junctura, & cum his numerus opportune cadens contingit. Quædam vero transgressiones & longæ sunt nimis, ut in superioribus diximus libris, & interim etiam compositione vitiosæ, quæ in hoc ipsum petuntur, ut exultent atque lasciviant: quales illæ ¹ *Meccœnatis, Sole & aurora rubent plurima. Inter sacra movit aqua fraxinos. Ne exequias quidem unus inter miserrimos viderem meas.* Quod inter hæc pessimum est, quia in re tristi ludit compositio. Sæpe tamen est vehemens aliquis sensus in verbo: quod si in media parte sententiæ latet, transire intentione, & obscurari circumjacentibus solet: in clausula positum, assignatur auditori, & infigitur: quale est illud Ciceronis, *Ut tibi necesse esset in conspectu populi Romani vomere postridie.* Transfer hoc ultimum, minus valebit. Nam totius ductus hic est quasi mucro, ut *per se fœda vomendi necessitati*, jam nihil ultra expectantibus, hanc quoque adjiceret deformitatem, *ut cibus teneri non posset postridie.* ² Solebat Afer Domitius trajicere in clausulas verba tantum asperandæ compositionis gratia, & maxime in proœmiis: ut pro Cloantilla, *Gratias agam continuo.* Et pro Lælia, *Eis utrisque apud te judicem periclitatur Lælia.* Adeo refugit teneram delicatamque modulandi voluptatem, ut currentibus per se numeris, quo eos inhiberet, objiceret. Amphiboliam quoque fieri vitiosa locatione verborum, nemo est qui nesciat. Hæc arbitror, ut in brevi, de ordine fuisse dicenda: qui si vitiosus est, licet & junctæ sit,

¹ *Meccœnatis.*] *Meccœnas* (ut scribit Suetonius) molliorem & lasciviorum sequebatur compositionem. itaque eum semper exagitabat Augustus. *Idem.*

² *Solebat Afer.*] *Domitius Afer* non solum utebatur *trajectionibus* ad nume-

ros efficiendos, verum ut eos quoque vel tolleret vel obscuraret: idque potissimum faciebat in *proœmiis*, ut orationis simplicitas magis animos subiret, neque ars oratorem efficeret suspectum. *Idem.*

fit, & apte cadens oratio, tamen merito incomposita dicatur. ¹ Junctura sequitur. Ea est in *verbis incisis, membris, periodis*. Omnia nanque ista & virtutes & vitia in complexu habent. ² Atque ut ordinem sequar, *Primum quæ imperitis quoque ad reprehensionem notabilia videntur, id est, quæ commissis inter se verbis duobus, ex ultima prioris, ac prima sequentis syllaba, deforme aliquod nomen efficiunt*. Tum vocalium concursus: qui cum accidit, hiat & intersistit & quasi laborat oratio. Pessime longæ quæ easdem inter se literas committunt, sonabunt. Præcipuus tamen erit hiatus earum quæ cavo aut patulo maxime ore efferuntur. E, plenior litera est, I, angustior: ideoque obscurius in his vitium. Minus peccabit qui longis breves subjiciet, & adhuc qui præponet longæ brevem. Minima est in duabus brevibus offensio. Atque cum aliæ subjunguntur aliis, perinde asperiores erunt, prout oris hiatu simili aut diverso pronuntiabuntur. Non tamen id ut crimen ingens expavescendum est, ac nescio negligentia in hoc, an sollicitudo sit pejor. Inhibeat enim necesse est hic metus impetum dicendi, & à potioribus avertat. Quare ut negligentia pars est hoc pati, ita humilitatis ubique perhorrescere, ³ nimiosque non immerito in hac cura putant omnes Isocratem secutos, præcipue Theopompum. At Demosthenes & Cicero modice respexerunt ad hanc partem. Nam & coeuntes literæ quæ ⁴ *συναλοιφή* dicitur, etiam leniorem faciunt orationem, quam si omnia

verba

¹ *Junctura sequitur.*] *Junctura* est in optima & suavi connexionem vocum, maxime autem pendet à suavitate literarum & syllabarum. etenim vitare oportet concursum vocalium & hiatus, & asperitatem consonantium. *Idem.*

² *Atque ut ordinem.*] In initio præcipit ut in *junctura* vitetur *cacophonon*, cum ex complexu duarum dictionum efficitur *turpe verbum*: ut apud Virgilium, *cæca caligine*. *Idem.*

³ *Nimiosque non immerito, &c.*] Vix annotare possis in *Isocrate* concursum vo-

calium in junctura: cujus rei magis etiam observantes fuerunt ejus discipuli. At lingua Ionica molli vocalium concursu gaudet. *Idem.*

⁴ *συναλοιφή dicitur.*] Apparet ex hoc loco olim Latinos more Græcorum admisisse *apostrophem*, ut cum *vocalis* à *vocali* exciperetur. id autem cum fit, dicitur non clauditur suo fine, sed terminatur initio sequentis. nonnunquam *vocalem* etiam *coeuntem* non tollebant, ac fiebat *hiulca oratio*. *Idem.*

¶ *Tam*

verba suo fine cludantur. & nonnunquam hiulca etiam decent, faciuntque ampliora quædam: ut, *Pulchra oratione acta omnino jactare.* ¹ tum longæ per se, & velut optimæ syllabæ aliquid etiam mediæ temporis inter vocales, quasi interfistatur, assumunt. Qua de re utar Ciceronis potissimum verbis: *Habet, inquit, ille tanquam hiatus & concursus vocalium molle quiddam, & quod indicet non ingrati negligentiam de re hominis magis quam de verbis laborantis.* ² Cæterum consonantes quoque, eæque præcipue quæ sunt asperiores, in commissura verborum rixantur, & S ultima cum X proxima, quarum tristior, etiamsi binæ collidantur, stridor est: ut, ³ *Ars studiorum.* Quæ fuit causa & ⁴ Servio (ut dixi) subtrahendæ S literæ, quoties ultima esset, aliaque consonante fusciperetur. quod reprehendit Lauranius, ⁵ Messala defendit. Nam neque Lucilium putant uti eadem ultima cum dicit, *Serenus fuit, & dignus loco.* Quinetiam Cicero in Oratore plures antiquorum tradit sic locutos: inde *belligerare pomeridiam:* & illa Censorii Catonis, *Die hanc, æque M litera in E mollita.* quæ in veteribus libris reperta mutare imperiti solent: & dum librorum insectari inscitiam volunt, suam confitentur. ⁶ Atqui eadem illa litera quoties ultima est, & vocalem verbi sequentis ita contingit, ut in eam transire possit, etiam si scribitur, tamen parum exprimitur: ut, *Multum ille.* -- & *Quantum erat,* adeo ut pene cujusdam

NOVÆ

¹ *Tum longe per se.*] Quando fit hiatus, præter tempus illud quod est in vocalibus longis, aliud intercurret tempus inter duas vocales, quoniam illic aliquandiu interfistimus. in vetustis codicibus sic legitur, *Aliquid etiam mediis temporibus:* deinde non assumunt, sed absument. Idem.

² *Cæterum consonantes quoque.*] Diomedes: Item ex consonantibus quæ in se incidentes studere & quasi rixari videntur fugienda junctura est, ut Sextus Roscius, ars Studiorum, rex Xerxes, error Romuli. *Pith.*

³ *Ars.*] An *Arx.* *Pith.*

⁴ *Servio, ut dixi, &c.*] Non memini ubi locutus sit de Servio antea: itaque annotat Valla in suo codice, hoc à Fabio dictum esse in lib. de causis corruptæ eloquentiæ: est tamen locutus de Servio lib. primo. *Turneb.*

⁵ *Messala.*] Hic Messala Servium defendit in libro quem de S litera conscripsit. *Idem.*

⁶ *Atqui eadem.*] M in medio dictionis optime sonat, in fine vero pessime: itaque eliditur in versu. cum sit autem hæc litera insuavis, proinde Græci nullam dictionem in m terminarunt, hæc in refoeliciores quam Latini. *Idem.*

I Cicero

novæ literæ sonum reddat. Neque enim eximitur, sed obscuratur, & tantum aliqua inter duas vocales velut nota est, ne ipsæ coëant. Videndum etiam, ne syllabæ verbi prioris ultimæ, sint primæ sequentis. Id ne quis præcipi miretur, ¹ Ciceroni in epistolis excidit, *Res mihi invisæ visæ sunt Brute.* Et in carmine,

² *O fortunatam natam me Consule Romam.*

Etiam monosyllaba si plura sunt, male continuabuntur: quia necesse est compositio multis clausulis concisa subsultet. Ideoque etiam brevium verborum ac nominum vitanda continuatio, & ex diverso quoque longorum: afferunt enim quandam dicendi tarditatem. Illa quoque vitia sunt ejusdem loci, si cadentia similiter & similiter desinentia, & eodem modo declinata, multa jungantur. Nec verba quidem verbis, aut nomina nominibus, similiaque his continuari decet: cum virtutes etiam ipsæ tædium pariant, nisi gratia varietatis adjutæ. ³ Membrorum, incisorumque junctura non eo modo est observanda, quo verborum, quanquam & in his extrema & prima coëunt. ⁴ Sed plurimum refert compositionis, quæ quibus anteponas. Nam & vomens, frustis esculentis vinum redolentibus, gremium suum & totum tribunal implevit. Et contra (nam frequentius utar iisdem diversarum quoque rerum exemplis, quo sint magis familiaria, Saxa atque solitudines voci respondent, bestia sæpe immanes cantu flectuntur atque consistunt. Magis id infurgebat, si verteretur: Nam etsi plus est saxa quam bestias commoveri, inest tamen compositioni decor. Sed transeamus ad numeros.

Omnia

¹ Ciceroni in epist.] Non videtur hac in re reprehendendus Cicero. Nam in priori plane alludit, in posteriori etiam lusit: quamquam Juvenalis hoc quoque carmen exagitat. Idem.

² O Fortunatam natam me Consule Romam.] Vide Turneb. l. 7. cap. 19.

³ Membrorum incisorumque.] In membris jungendis non solemus vitare similitudinem syllabarum: ut, Domus tibi dec-

rat? at habebas: pecunia aderat? at egebas. Turneb.

⁴ Sed plurimum refert.] In membrorum & incisorum conjunctione plurimum inter est quod cui anteponas, quia aliquando ordo naturalis & optimus immutatur propter gratiam & suavitatem compositionis. Hoc præceptum partim juncturae est, partim ordinis. Idem.

Omnia

1 Omnis *structura* ac *dimensio* & *copulatio* *vocum* constat aut numeris (numeros *ῥυθμῶς* accipi volo) aut *μέτρον*, id est dimensione quadam. Quod etiam si constat utrunque pedibus, habet tamen simplicem differentiam. Nam *rhythmi*, id est, numeri, spatio temporum constant: *metra* etiam ordine: ideoque alterum esse quantitatis videtur, alterum qualitatis. 2 *ῥυθμῶς* aut par est ut *dactylus*. unam enim syllabam parem brevibus habet. 3 Est quidem vis eadem & aliis pedibus, sed nomen illud tenet. *Longam* esse duorum temporum, *brevem* unius, etiam pueri sciunt. 4 Aut *sescuplex*, ut *paon*: cujus vis est ex longa & tribus brevibus: 5 quique ei contrarius, ex tribus brevibus & longa, vel alio quoquo modo tempora tria ad duo relata *sescuplum* faciunt, Aut duplex, ut *jambus*: nam est ex brevi & longa: quique est ei contrarius. Sunt hi & metrici pedes: sed hoc interest, quod *rhythmo* indifferens est, *dactylus* ne illæ priores habeat breves, an sequentes. Tempus enim 6 solum metitur, 7 ut à sublatione ad positionem iisdem sit spatium pedum. In versu pro *dactylo* poni non poterit *anapestus* aut *spondens*: nec *paon* eadem ratione à brevibus incipiet ac desinet. Neque solum

1 Omnis *structura*.] Numerus constat intervallo *syllabarum* & *pedum*: at *versus* non solum constat *pedum* intervallo, sed etiam certa *collocatione*, quæ perpetuo est *observanda*. Hunc locum traduxit *Fabius* ex *rhetoricis* ad *Theodectem*. *Idem*.

2 *ῥυθμῶς* aut par est.] Omnis *modulatio* oritur à *proportionibus* *arithmeti- cis*: igitur *Fabius* in *numeris* quoque ostendit certam esse temporum *proportionem*. est autem omnis *proportio* aut *aqualis*, aut *inaequalis*. eandem *observabis* in *pedibus*. *Idem*.

3 Est quidem vis eadem.] *Mensuram* temporum *observamus* in *numeris*, non *ordinem*: itaque *anapestus* eandem vim habere potest in *numero*. ita quancquam *anapestus* parem vim habet, obtinuit tamen ut *par* *numerus* diceretur *dactylus*. *Idem*.

4 Aut *sescuplex*.] *Sescuplex* dicitur, quod alterum totum capit, & dimidium: quæ proportio vocatur *sesquialtera*, à *Græcis* *hemiolia*. *Idem*.

5 Quique ei contrarius.] *Grammatici* hunc pedem *quadruplicem* faciunt ex *mutatione* *longæ* *syllabæ*, cum ponitur vel *initio*, vel *medio*, vel *fine*. *Idem*.

6 Solum.] *Alij*, *Sonum*.

7 Ut à sublatione.] *Sublatio* & *positio* ea est, quæ dicitur à *Græcis* *ἄρσις* & *θέσις*. itaque *Fab.* vocat *sublationem*, *elevationem* quæ fit ab *initio* *pedis* & *numeri* ad *ejus finem*, id est ad *positionem*. *Aliter* appellant qui de *accentibus* scribunt: *sublationem* enim *vocant*, cum *elevatur* *syllaba* in *pronunciatione* *accentus*. nam in *cæteris* *syllabis* est *positio*, quia *deprimitur*. *Tur- nebus*.

solum alium pro alio pedem metrorum ratio non recipit, sed ne dactylum quidem aut forte spondeum alterum pro altero. Itaque si quinque continuos dactylos, ut sunt in illo,

Panditur interea domus omnipotentis olympi,
confundas, solveris versum. Sunt & illa discrimina, quod *rhythmis* libera spatia, *metris* finita sunt: & his certe clausulae, illi quo modo cœperant currunt usque ¹ ad *μετέβολῶν*, id est transitum in aliud genus rhythmici. Et quod *metrum* in verbis modo, *rhythmus* etiam ² in corporis motu est. ³ Inania quoque tempora *rhythmici* facilius accipient, quanquam hæc & in *metris* accidunt. ⁴ major tamen illic licentia est, ubi tempora etiam animo metiuntur, & pedum & digitorum ictu intervalla signant quibusdam notis, atque æstimant quod breves illud spatium habeat, ⁵ inde *τέτρασημον*, *πεντάσημον*. Deinceps longiores fiunt percussiones. ⁶ Nam *σημεῖον* tempus est unum. In compositione orationis certior, & magis omnibus aperta servari debet dimensio. Est igitur in pedibus. Et metrici quidem pedes adeo reperiuntur in oratione, ut in ea frequenter non sentientibus nobis ⁷ omnium

¹ *Ad μετέβολῶν.*] Mutationem appellat, cum absoluta periodo transimus ad alium circuitum & periodum. in sequenti autem periodo mutare debemus numerum, quoniam similitudo numeri est vitiosa. *Idem.*

² *In corporis motu est.*] Fabius docuit in cap. de Musica, aptum & decentem corporis motum appellari *δύσμελον*. nam in ipso quoque corporis gestu servari debet quædam proportio, quæ efficit *rhythmum*. *Idem.*

³ *Inania quoque.*] Inania vocat tempora, quæ redundant. illa autem minus offendunt in periodo quam in carmine: quanquam in carmine nonnunquam illa ponuntur, ut in *hypermetro*. sed hoc perquam rarum est. *Idem.*

⁴ *Major tamen illic licentia.*] Major licentia est in *metris*, ut in fingendis verbis, atque adeo in numeris, quia certam

habent legem, contra quam aliquando faciunt. nullam autem habet legem orator. Nonnulli hunc locum intelligunt de oratione, sed peccant, ut apparet ex sequentibus. *Idem.*

⁵ *Inde τέτρασημον.*] *Τέτρασημον* appellat notam, quæ intervallum quatuor temporum signabat, ut *πεντάσημον* quinque. quanquam etiam notæ quædam erant quæ sex, septem, octo temporum starent. *Idem.*

⁶ *Nam σημεῖον tempus est unum.*] A quibusdam hic locus intelligitur de oratione, quæ majorem habet licentiam *nummerorum*: quanquam nonnulli hac in re ita sunt religiosi, ut non solum auribus & animo metiantur numeros in oratione, sed etiam certa cantione & certa annotatione temporum. *Idem.*

⁷ *Omnium generum excidant versus.*] Cic. in Oratore ad Brutum ait: *orationem nostram*

nium generum excidant versus. ¹ Et contra nihil est prosa scriptum, quod non redigi possit in quaedam versiculorum genera. Sed in adeo molestos incidimus grammaticos, quam fuerunt qui ² lyricorum quaedam carmina in varias mensuras coegerunt. At Cicero frequentissime dicit totum hoc constare *numeris*, ideoque reprehenditur à quibusdam, tanquam orationem ad *rhythmos* alliget. Nam sunt numeri *rhythmi*, ut & ipse constituit, & secuti etiam Virgilius cum dicit,

-- Numeros memini, si verba tenerem:

& Horatius,

-- Numerisque fertur

Lege solutis.

Invadunt ergo hanc inter cæteras vocem. Neque enim Demosthenes *fulmina* tantopere vibrasse diceretur, nisi *numeris contorta* ferrentur. In quo si hoc sentimus *rhythmis* contorta, dissentio. Nam *rhythmi*, ut dixi neque finem habent certum, nec ullam in contextu varietatem, sed qua cœperunt sublatione ac positione ad finem usque decurrunt: oratio non descendit ad strepitum digitorum. Id quod Cicero optime videt, ac testatur frequenter, se quod numerosum sit quærere: ³ ut magis non ἀριθμὸν, quod esse inscitum atque agreste, quam ἄρρυθμὸν, quod poëticum est, esse compositionem velit, sicut etiam quos palæstritas esset nolumus, peritos tamen palæstræ esse volumus, non ἀπαιδείας. Ver-

rum

nostram magna ex parte jam bis constare: itaque à nobis per imprudentiam fundi jam-bicos versus & Hipponactios. Idem.

¹ Et contra.] Infinita sunt versuum genera: itaque cum sit tanta in illis varietas, nulla videtur esse *prosa* quæ non possit in quoddam versiculi genus reduci. Idem.

² Lyricorum quaedam carmina.] Lyrici Græci sibi arbitrio carmina fingere solent, mira varietate, ut carmina vix deprehendas, at tamen rediguntur in certos pedes à quibusdam. Forte vero in-

nuit etiam grammaticos esse molestos, quia orationem veluti carmina metiuntur. Idem.

³ Ut magis non ἀριθμὸν. &c.] Ἐϋ-
ρυθμὸν dicitur, quod est bene numerosum, quale poëma: ἀρρυθμὸν autem, quod *numeris* omnino caret & compositionis lege. Inter hæc duo aliquid medium est, quod habet quandam modulationem & quandam dimensionem. talis est numerus oratorius. non igitur peccat Cic. cum numeros tribuit orationi. Idem.

rum ea quæ efficitur ex pedibus æqua conclusio, nomen aliquod desiderat. Quid sit igitur potius quam *numerus*, & oratorius numerus, ut *enthymema* rhetoricus syllogismus? Ego certe ne in calumniam cadam, qua ne M. quidem Tullius caruit, posco hoc mihi, ut cum pro composito dixerò *numerus*, & ubicunque jam dixi, *oratorium* dicere intelligar. ¹ *Collocatio* autem verba jam probata, & electa, & velut assignata sibi debet connectere: nam vel dura inter se commissa potiora sunt inutilibus. Tamen & eligere quædam, dum ex iis quæ idem significant, atque idem valeant, permiserim: & adjicere dum non ociosa: & detrahere, dum non necessaria: sed & figuris mutare & casus & numeros, quorum varietas frequenter gratia compositionis adscita, etiam sine numero solet esse jucunda: ² etiam ubi aliud ratio, aliud consuetudo poscit, utrum volet sumat compositio, *Vitavisse* vel *vitasse*: *Deprehendere* vel *deprendere*. ³ Coitus etiam syllabarum non negabo, & quicquid sententiis aut eloquentiæ non nocebit. Præcipuum tamen in hoc opus est, scire quod quoque loco verbum maxime quadret. Atque is optime componet, qui hoc solum componendi gratia faciet. Ratio vero pedum in oratione est multo quam in versu difficilior: primum, quod *versus* paucis continetur, *oratio* longiores habet sæpe circuitus: deinde quod *versus* semper similis sibi est, & una ratione decurrit: *orationis* compositio nisi varia est, & offendit similitudine, & affectatione deprehenditur: ⁴ & in omni quidem corpore, totoque (ut ita dixerim) tractu, numeris inserta est. Neque enim loqui possumus nisi è syllabis brevibus ac longis, ex quibus

¹ *Collocatio autem.*] Compositio est in verbis simplicibus & conjunctis. simplicia sunt eligenda, in conjunctis servanda est junctura & numerus. Idem.

² *Etiam ubi aliud ratio, &c.*] Ratio grammatica poscit ut dicamus *vitavisse*, at consuetudo poscit ut dicamus *vitasse*. Hic erit utendum ratione numeri. Idem.

³ *Coitus etiam syllab.*] Videtur syllab-

arum appellare coitum, quando duæ syllabæ commiscuntur in unam per synæresin, ut pro *perisse*, *perisse*. Idem.

⁴ *Et in omni quidem.*] Numeri potissimum sunt in clausulis & in finibus periodorum, secundo loco in initiis: media vero satis est si habeant lenitatem compositionis & aptum fluxum: quanquam ne id quidem fieri possit sine pedibus. Idem.

I. Abru-

quibus pedes fiunt. Magis tamen & desideratur in clausulis, & apparet: primum, quia sensus omnis habet suum finem, possidetque naturale intervallum, quo à sequentis initio dividatur: deinde, quod aures continuam vocem secutæ, ductæque velut prono decurrentis orationis flumine, tum magis judicant, cum ille impetus stetit, & intuendi tempus dedit. Non igitur durum sit neque ¹ abruptum, quo animi velut respirant ac reficiuntur. Hæc est sedes orationis, hoc auditor expectat, ² hîc laus omnis declamat. Proximam clausulis diligentiam postulant initia. nam & ad hæc intentus auditor est. Sed eorum facilius ratio est. Non enim cohærent aliis, nec præcedentibus serviunt: sed novum exordium sumunt, cum illa, quamlibet sit composita, ipsam gratiam perdat, si ad eam rupta via veniamus. ³ Namque cum sit, ut videtur, severa Demosthenis compositio *πρώτον μὲν ἂν ἀνδρῶν ἀθροιστοῖς τοῖς θεοῖς ὁρχομένη πῶσι καὶ πλοσῆσι.* & illa quæ ab uno (quod sciam) Bruto minus probatur, cæteris placet, *καὶ μὴ πῶς ἐλάλη, μηδὲ τοξόνη.* non desunt qui Ciceronem carpant in his, *Familiaris cæperat esse balneatori.* & *Non minus dura archipirata.* nam *balneatori* & *archipirata* idem finis est, qui *πῶσι καὶ πλοσῆσι*, & qui *μηδὲ τοξόνη*: sed propria sunt, ⁴ ideo severiora. Est in eo quoque nonnihil, quod hîc singulis verbis bini pedes continentur, quod etiam in carminibus est permolle: nec solum ubi quinæ syllabæ nectuntur, ut in his, *Fortissima Tyndaridarum*: sed etiam ubi quaternæ, cum versus eluditur *Apenmino*, & *armamentis*, & *Oriona*. Quare hoc quoque vitandum est, ne plurium syllabarum verbis utamur

¹ *Abruptum.*] *Abrupta est clausula, quando ante legitimum numerum & aptam dimensionem incipit desinere. Idem.*

² *Hic laus omnis declamat.*] *Cicero quoque scribit aliquando totas conciones exclamasse, plausumque sustulisse, quia clausula apte conciderat atque numerose. Idem.*

³ *Namque cum sit.*] *Reprehenditur Cic. quod periodos quasdam male con-*

cluserit, quoniam in illis optimus est numerus. Est enim creticus cum spondeo, sed dictiones sunt productiores quam conveniat: non enim licet terminare periodum dictione habente sex aut septem syllabas. Idem. Namque cum sit, ut videtur.] Dan. Nam qui fit ut cum Demosthenis vera videatur. Pith.

⁴ *Ideo severiora.*] *Dan. Dissolutio-*

utamur in fine. ¹Mediis quoque non ea modo cura sit, ut inter se cohæreant, sed ne pigra, ne longa sint: ne, quod nunc maximum vitium est, brevium contextu resultent, ac sonum reddant pene puerilium crepitaculorum. Nam ut initia clausulæque plurimum momenti habent quoties incipit sensus aut desinit: ²sic in mediis quoque sunt quidam conatus qui leviter intersistunt: ut currentium pes etiam si non moratur, tamen vestigium facit. ³Itaque non modo membra atque incisa bene incipere atque cludi decet, sed etiam in iis quæ non dubie contexta sunt, nec respiratione utuntur illi ⁴vel occulti gradus. quis enim dubitet unum sensum & unius spiritus esse. *Animadverti, iudices, omnem accusatoris orationem in duas divisam esse partes?* Tamen & duo prima verba, & tria proxima, & deinceps duo rursus ac tria suos quasi numeros habent spiritum sustinentes: sicut apud ⁵*rhythmicos* æstimantur hæ particulæ prout sunt *graves, acres, lenta, celeres, remissa, exultantes*. Proinde id quod ex illis conficitur, ⁶aut severum, aut luxuriosum, aut quadratum, aut solutum erit.

²Quædam etiam clausulæ sunt claudæ atque pendentes, si relinquuntur: sed sequentibus suscipi ac sustineri solent:

et eoque

¹ *Mediis quoque.*] In mediis quamquam non diligenter observatur numerus, tamen non debemus contenti esse sola junctura, sed etiam efficere debemus ut modice fluat oratio & apte. Turnebus.

² *Sic in mediis.*] Quamquam media spatia periodi continuo decurrunt fluxu, tamen habent tenuem quandam quietem, & quadantenus insistant. est igitur aliquo opus numero in illa quiete. Idem.

³ *Itaque non modo.*] In mediis spatii quamquam non est colon & comma, tamen sæpenumero est diastole aut hypodiastole. Turn.

⁴ *Vel occulti.*] Spiritum sustinemus.

⁵ *Rhythmicos.*] Rhythmiici appellantur musici quidam, qui diligenter expen-

dunt numeros singularum particularum. sic etiam nonnulli rhetores appellantur, à numerorum diligentia. Idem.

⁶ *Aut severum.*] Videretur innuere quasi quatuor genera compositionis. Diomedes tamen grammaticus duntaxat tria ponit, quadratum, confragosum, elumbe: sed ultimum complectitur solutum & luxuriosum. quadratum autem vocamus, aptum omnino & conveniens. sic dicitur quadrata statura omnium optima: quæ media est inter procerum & breve, obesum & gracile. Idem.

⁷ *Quædam etiam claus.*] Clausula curtiior & brevior vitiosa est, quia non implet aures: ejus tamen vitium emendatur, si aliquid subjiciatur quod mutilatam clausulam expleat. Idem.

¶ Versum

eoque facto, vitium quod erat in fine, continuatio emendat. *Non vult P. R. obsoletis criminibus accusari Verrem.* durum, si desinas: sed cum est continuatum iis quæ sequuntur, quamquam natura ipsa divisa sint, *Nova postulat, inaudita desiderat:* salvus est cursus. Ut adeas, tantum dabis: male cluderet. nam & trimetri versus pars ultima est. excipit, *Ut cibum vestitumque introferre liceat, tantum:* præceptus adhuc firmatur ac sustinetur ultima, *Recusabat nemo.* ¹ Versum in oratione fieri, multo foedissimum est totum: sicut etiam in parte, deforme: utique si pars posterior in clausula deprehendatur, aut rursus prior in ingressu. Nam quod est contra, sæpe etiam decet, quia & cludit interim optime prima pars versus, dum intra paucas syllabas, ² præcipue senarii atque octonarii. *In Africa fuisse,* initium senarii est, primum pro Quin. Ligario caput, cludit, *Esse videatur.* ³ Nam nimis frequens, octonarium inchoat. Talia sunt Demosthenis, *πῶσι καὶ πῶσι καὶ πῶσι ὑπὲρ ὅλων δόξαι.* & totum pene principium. Et ultima versuum initio conveniunt orationis: *Etsi vereor, iudices. & Animadverti, iudices.* ⁴ Sed initia initiis non conveniunt. T. Livius hexametri exordio cœpit, *Facturusne opera pretium sim.* Nam ita edidit, estque melius quam quo modo emendatur, *Nec clausula clausulis:* ut Cicero, *Quo me vertam nescio.* qui trimetri finis est. Trimeterum & *Pro misero dicere liceat.* ⁵ Sex enim pedes, tres percussiones

¹ *Versum in oratione fieri.]* In hoc tamen vitium aliquando incidunt oratores; ut Cic. in Verrem, *cum loquerer, multi fletus gemitusque fiebant,* dempta una syllaba versus est. alio quoque in loco, *O miserum cui peccare licebat:* sic posuit finem hexametri. In Isocrate vero multos annotant versus propter nimiam numerorum diligentiam. *Idem.*

² *Præcipue senarii.]* Id vero optime, quoniam (ut docet Cic. in Orat. ad Brutum) oratio nostra magna ex parte jambicis constat: & alioqui hic numerus minus est metricus. *Idem.*

³ *Nam nimis frequens.]* Cic. periodum

inchoat quibusdam pedibus jambicorum versuum: reliqui autem pedes quamquam in metro peccant, tamen absolvunt octonarium. *Idem.*

⁴ *Sed initia.]* Duplex esse potest sensus, vel quod initia periodorum diversa sint, nec sibi consentiant: vel quod initia versuum non conveniunt initiis periodorum, quemadmodum supra dixit. *Idem.*

⁵ *Sex enim pedes.]* In trimetro jambico sex sunt pedes: sed cum breves habeant syllabas, fit proinde ut in mensurarum percussionibus bini pro singulis habeantur. inde trimetri versus dicuntur à tribus mensuris. *Idem.* Sex enim

cussiones habent. Peius claudit finis hexametri: ut Brutus in epistolis, *Neque enim illi malunt habere tutores aut defensores, quanquam sciunt placuisse Catoni.* Illic minus sunt notabiles, quia hoc genus sermoni proximum est. Itaque & versus hi fere excidunt, quos Brutus ipso componendi ductus studio sapissime facit, non raro Asinius, sed etiam Cicero nonnunquam, ut in principio statim orationis in Lucium Pisonem, *Prò dii immortales, quis hic illuxit dies?* ¹ Non minore autem cura vitandum est, quicquid *ὑπερμετρῶν*, quale est apud Sallustium, *Falso queritur de natura sua.* Quamvis enim victa sit, tamen soluta videri debet oratio. Atqui Plato diligentissimus compositionis in Timæo prima statim parte vitare ista non potuit. Nam & initium hexametri statim invenias, & ² Anacreontion protinus colon efficias, & si velis trimetron, & quod duobus pedibus & parte *πυρρῆμετρῶν* à Græcis dicitur: & hæc omnia in ³ tribus, ut Thucydidis *ὅτι ἐρῶμετρίαι καὶ πρὸς ἐφάπνῃσαν*, ex mollissimo rhythmorum genere excident. Sed quia orationem jam constare pedibus dixi, aliqua de iis quoque: quorum nomina quoniam varia esse traduntur, constituendum est quo quenque appellemus. Et quidem Ciceronem sequar: nam is eminentissimos Græcorum est secutus, excepto quod pedes mihi trisyllabos non videtur excedere, quanquam ille *πρῶνε* ⁴ *dochimoque*, quorum

prior

pedes tres pecc.] Horat. Unde *ἑ* trimetris ad crescere iussit Nomen Iambeis cum senos redderet ictus. nam cum bini per se colliduntur, ter se repercutiunt. Alioqui in Jambicis trochaicis & anapæsticis pedes binos pro singulis numeramus: ideoque trimetri tres percussiones, id est, collisiones habere dicuntur. *Pith.*

¹ *Non minore autem.*] Appellat *ὑπερμετρῶν*, ut antea, quod non solum habet numerum, verum etiam metrum. Sic Sallustius initio Jugurthinum belli usus est optimo jambico. Turneb. *Non minore autem curavit.*] Reprehendit alia ratione Servius in illud Virgil. *multæ illam frustra.* Antequam inquit rem diceret,

prior eius ostendit eventum: sic Sallustius: *Falso queritur de natura sua humanum genus.* Nam antequam diceret *queritur*, dixit *falso*. *Pith.*

² *Anacreontio.*] *Versus Anacreontius* est, qui constat *versu tetrametro hypercatalectico*, id est *una redundante syllaba*: sunt etiam alii versus Anacreontii apud Servium in centimetro. Turneb.

³ *Tribus, &c.*] *Verbis an versibus.*

⁴ *Dochimoque.*] *Dochimus* apud Cic. & Fab. primam habet brevem, deinde duas longas, quartam brevem, ultimam longam, ut *amicos leves*. grammatici nonnulli volunt duas primas esse breves, ut *hyacinthini*. Turneb.

¹ *Pyrrhi-*

prior in quatuor, secundus in quinque excurrit, utatur. Nec tamen ipse diffimulat quibusdam numeros videri, non pedes. nec immerito. Quicquid enim supra treis syllabas habet, id ex pluribus est pedibus. Ergo cum constent quatuor pedes binis, octo ternis: *spondeum* longis duabus, ¹ *pyrrhichium*, quem alii *periambum* vocant, brevibus: *jambum* brevi longaque: huic contrarium è longa & brevi, ² hunc *chorem* nos, ut alii *trocheum*, nominemus. Ex iis vero qui ternas syllabas habent, *dactylum* longa duabusque brevibus: huic temporibus parem, sed retroactum, appellari constat *anapeston*. Media inter longas brevis faciet *amphimacrum*: sed frequentius ejus nomen est ³ *creticus*. Longa inter breves, *amphibrachys*: duabus longis brevem sequentibus, ⁴ *bacchius*: totidem longis brevem præcedentibus, huic contrarius *palimbacchius* erit. Tres breves *trocheum*, quem *tribrachyn* dici volunt, qui choreo *trochai* nomen imponunt: totidem longæ *molossion* efficiunt. Horum pedum nullus non in orationem venit, sed quo quique sunt temporibus pleniores, longisque syllabis magis stabiles, hoc graviorem faciunt orationem, breves celerem ac mobilem. Utrumque locis utile. Nam & illud ubi opus est velocitate, tardum & segne, & hoc ubi pondus exigitur, præceps ac resultans, merito damnetur. ⁵ Sit in hoc quoque aliquid fortasse momenti, quod & longis longiores, & brevibus sunt breviores syllabæ: ut quamvis neque plus duobus temporibus, neque uno minus habere videantur (ideoque in metris omnes breves longæ-

que

¹ *Pyrrhichium.*] De pedibus metr.

² Hunc *chorem* nos, &c.] Hac in re sequitur Ciceronem Fabius. appellat enim *chorem*, pedem constantem longa & brevi. alii vocant *trocheum*, sed *trocheus* Ciceroni & Fabio est *tribrachys*, qui constat tribus brevibus. *Turneb.*

³ *Creticus.*] *Creticus* appellatur, propterea quod *Cretenses* solebant uti eo pede in saltationibus. *Idem.*

⁴ *Bacchius.*] A cæteris *grammaticis* aliter dicitur. qui enim à Fabio dicitur

bacchius, ab illis appellatur *palimbacchius*, & contra. *Idem.*

⁵ *Sit in hoc.*] Syllabæ longis longiores sunt, quæ suapte natura productæ habent etiam positionem, ut *mater matris*. brevibus breviores, quæ compositione breves sunt, & sine positione, ut *patris pater*. Potest hoc etiam expendi ex sequente syllaba, quæ positionem habet, ideoque præcedenti mutuatur aliquod tempus, ut *agrestem*. *Idem.*

que inter se obfessæ sunt pares) lateat tamen nescio quid, si quicquam superfit, aut desit. Nam versuum propria conditio est, ideoque in his quædam etiam communes. ¹Veritas vero quia patitur æque brevem esse vel longam vocalem cum est sola, quam cum eam consonantes una pluresve præcedunt: certe in dimensione pedum syllaba quæ est brevis, insequente alia vel brevi, quæ tamen duas primas consonantes habeat, fit longa: ut,

² *Agrestem tenui musam meditaris avena.*

nam licet *gre* brevis, facit tamen longam *A* priorem. Dat igitur illi aliquid ex suo tempore: quo modo, nisi habeat plus quam quæ brevissima, qualis ipsa esset detractis consonantibus? nunc unum tempus accommodat priori, & unum accipit à sequente, ita duæ natura breves, positione sunt temporum quatuor. ³ Miror autem in hac opinione doctissimos homines fuisse, ut alios pedes ita eligerent, alios damnarent, quasi ullus esset, quem non sit necesse in oratione deprehendi. Licet enim *paonem* sequatur Ephorus, inventum à Thrasymacho, ⁴ probatum ab Aristotele, *dactylumque*, ut temperatiores brevibus ac longis: fugiat *spondeum* & *trochaum*, alterius tarditate, alterius celeritate damnata: ⁵ & *herous*, qui est idem *dactylus*, Aristoteli amplior, *jambus* ⁶ humanior videatur: *trochaum* ut nimis currentem damnet, eique ⁷ *cordacis* nomen imponat, eademque dicant Theodectes

¹ *Veritas vero.*] Si spectes vocalis naturam, etiam si extrinsecus accedat positio, non tamen magis longa erit aut brevis, ut *fax* positione longum est, natura breve. *Idem.*

² *Agrestem tenui, &c.*] In Vergilio ubique legitur *sylyestrem*: alio tamen in loco apud Vergil. scribitur, *Agrestem tenui meditabor arundine musam.* *Idem.*

³ *Miror autem.*] Fabius existimat nullum pedem esse qui orationem ingredi non possit, dummodo apte collocetur. eos itaque reprehendit qui quosdam pedes damnant. *Idem.*

⁴ *Probatum ab Aristotele.*] Arist. in periodorum initiis maxime probat *paonem*, qui incipit à longa: ut in fine, qui desinit in longam. *Idem.*

⁵ *Et herous.*] *Herous* damnat Arist. propter amplitudinem nimis metricam. appellat *herous*, quia frequens est in *carmine heroico.* *Jambus* Aristoteli non probatur propter *humilitatem.* incidit enim fere in *sermonem vulgarem.* *Idem.*

⁶ *Humana.*] *Humilior.* Pith.

⁷ *Cordacis.*] *Cordax* dicitur *lasciva* & *comica saltatio*, quæ gesticulationem habet huiusmodi, ut pedes & reliquum corpus celerime moveantur. *Turnebus.*
Corda.

dectes ac Theophrastus, similia post eos Halicarnasseus Dionysius irrumpent etiam ad vicinos, nec semper illis *Heroo*, aut *pæone* suo, quem quia versus raro facit, maxime laudant, uti licebit: ¹ ut sint tamen aliis alii crebriores, non verba facient, quæ neque augeri, neque minui, neque sicut modulatione produci aut corripri possint: sed *transmutatio* & *collocatio*. ² Plerique enim ex commissuris eorum vel divisione fiunt pedes: quo fit ut iisdem verbis alii atque alii versus fiant: ut memini quendam non ignobilem poetam ita lusisse,

Astra tenet cælum, mare classes, area messem.

³ Hic retrorsum fit *sotadeus*. Itemque *sotadeo* adjungat retrotrimetros.

Caput exeruit mobile pinus repetita.

Miscendi ergo sunt, curandumque ut sint plures qui placeant, & circumfusi bonis deteriores lateant. Nec vero in literis syllabisque natura mutatur, sed refert quæ cum qua optime coëat. Plurimum igitur auctoritatis, ut dixi, & ponderis habent *longæ*: celeritatis *breves*: quæ si miscentur quibusdam longis, currunt: si continuantur, exultant. ⁴ *Acræ* quæ ex brevibus ad longas insurgunt: *leniores*, quæ à longis in breves descendunt. Optime incipitur à longis, recte aliquando à brevibus: ut *Novum crimen C. Casar*. ⁵ *Lenius*, ut, *Animadverti, judices*. Quod initium partitioni simile

Cordacis.] Κορδακισώτερον appellat Aristoteles.

¹ *Ut sint tamen aliis, &c.*] Pedes non expendimus ex ipsis verbis, sed potius ex verborum junctura & collocatione. igitur verba non faciunt ut sæpius utamur hoc pede, sed collocatio verborum. Idem.

² *Plerique enim.*] Vel inde apparet à verbis ipsis pedes non effici, quia si verba eadem varie mutaveris atque collocaveris, alios atque alios efficies pedes. Idem.

³ *Hic retrorsum.*] *Sotadeus* hic versus (nam sunt & alii) constat spondeo, ana-

pesto, dactylo. Idem. *Hic retrorsum fit sotadeus.*] Ut illi apud Diomed. III. *Esse bonus si vis cole Divos optime Pansa.* Martial. *Nec retro lego Sotadem cinadum.* Auson. Σόταδον τε κινάδον, Ἰοινόν τε ἀμφοτέρωθεν. *Pith.*

⁴ *Acræ, quæ ex brevibus.*] *Diomedes* lib. 2. hæc verba *Fabii* repetit, sed *alacræ* legit, ac forte aptius ita legeretur. *Turneb.*

⁵ *Lenius.*] *Diomedes* hunc quoque locum citat, *lenius à duabus*, quæ lectio videtur melior. *Idem.*

mile est, quæ celeritate gaudet. ¹ Clausula quoque è longis firmiffima est: sed cludent & breves, quamvis habeatur indifferens ultima. ² Neque enim ego ignoro, in fine pro longa accipi brevem, quod videtur aliquid vacanti tempori, ex eo quod insequitur, accedere: aures tamen consulens meas, intelligo multum referre, utrumne *longa* sit quæ cludit, an *pro longa*. Neque enim tam plenum est, dicere, *Incipientem timere*: quam illud, *Ausus est confiteri*. Atqui si nihil refert brevis an longa sit ultima, idem pes erit: verum nescio quomodo sedebit hoc, illud subsistet. Quo moti quidam, longæ ultimæ tria tempora dederunt, ut illud tempus quod brevis ex longa accipit, huic quoque accederet. ³ Nec solum refert quis claudat, sed quis antecedit. Retrorsum autem neque plus tribus, (iique si non ternas syllabas habebunt, repetendi sunt, absit tamen poëtica observatio) neque minus duobus: alioqui *pes* erit, non *numerus*. ⁴ Potest tamen vel unus esse *dichoreus*, si unus est qui constat ex duobus choreis. Itemque *paon*, qui est ex choreo & pyrrhichio, quem aptum initiis putant: vel contra qui est è tribus brevibus & longa, cui clausulam assignant: de quibus fere duobus scriptores hujus artis loquuntur, ⁵ alios omnes, quotcunque

¹ *Clausula quoque.*] Itaque Aristotel. suadebat ut *periodum* terminarem *paone posteriore*, cujus ultima syllaba longa est. *Idem.*

² *Neque enim ego ignoro.*] Propterea quod in fine interfistitur, accedit aliquid temporis brevis syllabæ ex sequentibus, atque ita longa fit. itaque Cic. nihil ait interesse, *dactylo* quis *periodum* terminet, an *cretico*: reprehenditque Arist. qui *paone posteriore* dicit terminandam *periodum*, cum nihil intersit *ultima brevis sit an longa*. sed à Cic. dissentit Fabius. *Idem.*

³ *Nec solum refert.*] Pes unus numerum non efficit, itaque non solum est videndum quis ultimus sit pes, sed quis etiam antecedit. Quod si pedes sint *disyllabi*, observari poterunt *tres*: sin tri-

syllabi, non plures *duobus*, ne *oratio* abeat in *carmen*. *Idem.*

⁴ *Potest tamen.*] *Dichoreus* suavissime *periodum* terminat, dum non sæpius usurpetur. itaque Cic. reprehendit *Asianos oratores*, quod fere *clausulas* hoc pede finirent. constat autem *duobus trocheis*, ut *comprobare*. *Idem.*

⁵ *Alios omnes.*] In divisione numerorum æqualem posuit numerum, *duplicem*, & *sesquiplum*, quem dixit *paonem*, cujus est *proportio duorum ad tria*, ut sit *excessus unitatis*. igitur quicumque pedes *excessum* habent *unitatis*, in diversa tamen sed ejusdem generis *proportione*, ad *paonem* referuntur, sive sit *proportio sesquitercia*, sive *sesquiquarta*: qualis est, *Romanus sum*. *proportio* est enim *quatuor ad tria* in *unitatis excessu*. *Idem.*

r Eff

cunque sint temporum quæ ad orationem pertineant, *pæonas* appellant. ¹ Est & *dochimus*, qui fit ex *bacchio* & *jambo*, vel *jambo* & *cretico*, stabilis in clausulis, & severus. *Spondeus* quoque, quo plurimum est Demosthenes usus, moram semper per se habet: optime præcedet eum *creticus*: ut in hoc, *De quo ego nihil dicam nisi depellendi criminis causa*. Illud est quod supra dixi multum referre, unone verbo pedes sint duo comprehensi, an uterque liber. Sic enim fit forte, *Criminis causa*: molle, *Archipirata*: mollius si tribrachys præcedat. *facilitates, temeritates*. ² Est enim quoddam in ipsa divisione verborum latens tempus, ut in pentametri medio spondeo qui nisi alterius verbi fine, alterius initio constet, versum non efficit. Potest, etiam si minus bene, præponi anapæstus, *Muliere non solum nobili, verumetiam nota*. Tum anapæstus & *creticus*, ³ *jambus* quoque, qui est utroque syllaba minor. præcedet enim tres longas brevis. Sed & *spondeus jambus* recte præponitur, *In armis sui*. ⁴ Tum *spondeus* & *bacchius*, sic enim fiet ultimus *dochimus*, *Isdem in armis sui*. Ex iis quæ supra probavi, apparet molosson quoque clausulæ convenire, dum habeat ex quocunque pede ante se brevem. Illud scimus, ubicunque sunt, esse pro nobis. Minus gravis erit *spondeus* præcedente *pyrrhichio*: ut: ⁵ *Judicii Juniani*. & adhuc pejus priore *pæone*: ut, *Brute dubitavi*: nisi potius hoc esse velimus *dactylum* & *bacchium*.

Duo

¹ Est & *dochimus*.] Cic. quoque *Dochimum* aprissimum putat esse clausulis, vetat tamen ne continuetur, propterea quod nimis notabilem efficit numerum. *Idem*.

² Est enim quoddam.] *Spondeus* qui in tertia sede pentametri ponitur, fieri debet ex *distionis fine* & *initio alterius*, alioqui male connexus erit versus. Sic etiam *connecti* interdum debent pedes resque efficitur longe mollior. *Idem*.

³ *Jambus* quoque, qui est utroque syllaba minor.] In vetusto codice sic legitur, *Jambus* quoque qui est in utrisque, sed illis

minor. nam ultimæ syllabæ, *anapæsti* & *cretici* faciunt *jambum*. *Idem*.

⁴ Tum *spondeus* & *bacchius*.] In vetustis legitur, *tamen* & *bacchius*: videturque sincerior esse lectio, quia (ut antea docuit) *bacchius* præpositus *jambo* efficit *dochimum*. hanc tamen lectionem reposuit *Raphaël*. *Idem*.

⁵ *Judicii Juniani*.] Haudquaquam satis quadrare videtur exemplum. etenim claudi videtur *periodus choreo* & *spondeo*, non *pyrrhichio*, nisi forte *Fabius* existimavit primam in *Juniano* brevem esse. *Idem*.

I Duo

¹ Duo spondei non fere conjungi patiuntur: quæ in versu quoque notabilis clausula est, nisi cum id fieri potest ex tribus quasi membris: ² *Cur de perfugis nostris copias comparatis contra nos?* una syllaba, duabus, una. ³ Ne dactylus quidem spondeo bene præponitur, quia finem versus damnamus in fine orationis. bacchius & cludit, & sibi jungitur, *Venenum timeres*. ⁴ Vitat choreum, spondeum autem amat: ut, *Non venena timeres: sed virus timeres*. Contrarius quoque qui est, cludet, nisi si ultimam longam esse volumus: optimeque habebit ante se molosson: ut, *Et spinis respersum*. Aut bacchium, *Quod hic potest, nos possemus*. Sed verius erit cludere choreum præcedenti spondeo. Nam hîc potius est numerus, *Nos possemus: &, Romanus sum*. ⁵ Cludet & dichoreus, si pes idem sibi ipsi jungetur, quo Asiatici sunt usi plurimum. Cujus exemplum Cicero ponit, *Patris dictum sapiens, temeritas filii comprobavit*. Accipiet ante se choreus & pyrrhichium: *Omnes prope cives virtute, gloria, dignitate superabat*. Cludet & dactylus, nisi eum observatio ultimæ creticum facit: ut, *Muliercula nixus in littore*. ⁶ Habebit ante bene creticum & jambum, spondeum male, pejus choreum. Cludit amphibrachus, *Q. Ligarium in Africa fuisse*, si non eum malumus esse bacchium. Non optimus est trochæus, si ultima

¹ *Duo spondei.*] *Dispondens* in versu notabilem facit rhythmum: ut, & *co-stam longo subducimus Apennino*: unde vitandus est in prosa. à Cic. tamen probatur, efficit enim gravem orationem, & eo numero Cic. prodit frequenter usum esse Crassum. *Idem.*

² *Cur de profugis.*] Locus est ex oratione Crassi, qui citatur à Cic. in Oratore, ubi legitur *comparant*, non, *comparatis*: sed ita emendavit Badius propter sequentia. *Idem.*

³ *Ne dactylus quidem.*] Cum dactylus præponitur spondeo, fit hexametri finis: tamen Cic. non vitavit aliquando hunc numerum, ut pro *Rabirio*, *perpetienda fuerunt*. *Idem.*

⁴ *Vitat choreum.*] *Choreus* præponi non potest *bacchio* in clausula periodi, propterea quod incideret clausula in finem versus hexametri. nam choreus & bacchius efficiunt dactylum & spondeum. *Idem.*

⁵ *Cludet & dichoreus.*] *Dichoreus*, duplex est choreus, quo pede nihil esse potest numerosius. exemplum quod citat Fab. est ex oratione Carbonis. Scribit autem Cic. *ita placuisse populo hujusmodi numerum, ut audita hac periodo sustulerit ingentem clamorem*. *Idem.*

⁶ *Habebit ante, &c.*] Idcirco dactylus ante se non admittit spondeum & choreum, quia ita efficeretur particula versus. *Idem.*

Alioqui

ultima est brevis, quod certe sit necesse est, ¹ alioqui quomodo cludet, qui placet plerisque, dichoreus? Illa observatione ex trochæo fit anapæstus. Idem trochæus præcedente longa fit pæon: quale est, *Si potero.* & *Dixit hoc Cicero, Obstat invidia.* Sed hoc initiis dederunt. Cludit & pyrrhichius choreo præcedente: nam sic pæon est. Omnes ii qui in breves excidunt, minus erunt stabiles: nec alibi fere factis apti, quam ubi cursus orationis exigitur, & clausulis non interfisitur. Creticus est initiis optimus: *Quod precatus à diis immortalibus sum.* & clausulis, *In conspectu populi Romani vomere postridie.* Apparet vero quam bene eum præcedant, vel anapæstus, vel ille qui videtur fini aptior, pæon. Sed & se ipse sequitur, *Servare quam plurimos.* Sic melius quam choreo præcedente, *Quis non turpe duceret?* si ultima brevis pro longa sit. ² Sed fingamus sic, *Non turpe, duceret.* Sed hic est illud inane quod dixi. Paululum enim moræ damus inter ultimum atque proximum verbum, & turpe illud intervallo quodam producimus: alioqui sit exultantissimum, & trimetri finis, *Quis non turpe duceret?* ³ Sicut illud: *Ore spiritum excipere liceret:* si jungas, lascivi carminis est: sed interpunctis quibusdam & tribus quasi initiis, fit plenum auctoritatis. Nec ego cum præcedentes pedes posui, legendi dedi ne alii essent: sed quid fere accideret, quod in præsentia videretur optimum, ostendi. Et quidem optime est sibi junctus anapæstus, ut qui sit pentametri finis ⁴ vel rhythmus, qui nomen ab eo traxit: *Nam ubi libido dominatur, innocentia leve præsidium est.* Nam sfinalcephe facit, ultimæ syllabæ

¹ Alioqui quomodo cludet.] Trocheus tres habet breves, propter celeritatem igitur non bene consistit, quod si dixeris ultimam esse longam, hac ratione nunquam reperietur dichoreus in fine periodi, cujus ultimam syllabam esse brevem necesse est. Idem.
² Sed fingamus sic.] Distinctio quæ aliquam efficit moram, attribuit dictioni aliquid temporis vacantis, ut antea di-

xit, ex eo quod insequitur, efficitque ne rhythmus videatur poeticus, nam si continuaretur pronuntiatio, videretur esse finis scæarii. Idem.
³ Sicut illud.] Legendum est, sicæ illo ore. Idem.
⁴ Vel rhythmus.] Per rhythmum anapesticum significare videtur carmen anapesticum, anapesticum, quod constat duobus anapestis. Idem.



syllabæ pro una sonent. Mollior fiet præcedente spondeo vel bacchio: ut si mutes idem, *leve innocentia præsidium est.*
 1 Non me capit (ut à magnis viris dissentiam) pæon qui est ex tribus brevibus & longa. Nam est ipse una plus brevi anapæsto, *facilitas & agilitas.* Quod quid ita placuerit his, non video, nisi quod illum fere probaverint, quibus loquendi magis quam orandi studium fuit. Nam & ante se brevibus gaudet pyrrhichio & choreo, *mea facilitas, nostra facilitas.* At præcedente spondeo tum plane finis est trimetricum sit 2 per se quoque ei contrarius. Principiis merito laudatur. Nam & primam stabilem, & tres celeres habet: tamen hoc quoque meliores alios puto. Totus vero hic locus non ideo tractatur à nobis, ut oratio quæ ferri debet ac fluere, dimetiendis pedibus ac perpendendis syllabis confenescat. Nam id tum miseri, tum in minimis occupati est. Neque enim qui se totum in hac cura consumpserit, potioribus vacabit: si quidem relicto rerum pondere, ac nitore contempto, 3 *tesserulas* (ut ait Lucilius) *struet, & vermiculate inter se lexeis committet.* Nonne ergo refrigeretur sic calor, & impetus pereat, 4 ut equorum cursum qui dirigit, minuit: & passus qui æquat, cursum frangit? 5 quasi numeri non fuerint in compositione deprehensi: sicut poëma nemo dubitaverit 6 imperito quodam initio fufum, & aurium mensura,

1 Non me capit.] Refragatur hic Fabius Aristoteli, Theodecti, & Theophrasto. illi enim summopere pæona probant, quem non putat tantopere laudandum atque hic opinionem Ciceronis sequitur. Idem.

2 Per.] Dan. Pæon.

3 Tesserulas struet.] Alludit ad hos Lucilii versus, *Quam lepide lexeis compositæ, ut tesserulæ omnes Arte pavimento atque emblemate vermiculato.* Appellat autem tesserulas, lapillos quadratos apte formatos, quibus struuntur pavimenta, quæ dicuntur tessellata, Vermiculatum autem appellamus opus, quod constat minutis quidem sed variis formis, representatque

diversas species. Turneb.

4 Ut equorum cursum, &c.] Quemadmodum equisones cum equos efficere volunt gradarios, aut solutarios, ex compositione gressus celeritatem eorum inhibent: sic inhibetur celeritas orationis. Idem.

5 Quasi numeri non, &c.] Non debet esse tam diligens numerorum observatio, quia etiam ante numerorum observationem numerosa fuit compositio. Idem.

6 Imperito quodam initio.] In vetustis codicibus legitur, *perito*: Cælius tamen Rhodiginus in lectionibus antiquis *imperito* legendum putat, ex Aristotele. Nam

fura, & similiter decurrentium spatiorum observatione esse generatum, mox in eo repertos pedes. Satis igitur in hoc nos componit multa scribendi exercitatio, ut ex tempore etiam similia fundamus. Neque vero tam sint intuendi pedes quam universa comprehensio: ut versum facientes, totum illum decursum non sex vel quinque partes, ex quibus constat versus, aspiciunt. Ante enim carmen ortum est, quam observatio carminis. ¹ Indeque illud,

Fauni vatesque canebant.

Ergo quem in poemate locum habet ² *versificatio*, eum in oratione *compositio*. Optime autem de illa judicant aures, quæ & plena sentiunt, & parum expleta desiderant, & fragoris offenduntur, & lenibus mulcentur, & contortis excitantur, & stabilia probant, clauda deprehendunt, redundantia & nimia fastidiunt. Ideoque docti rationem componendi intelligunt, indocti voluptatem. Quædam vero arte tradi non possunt. ³ Mutandus est casus, si durius is quo cœperamus feratur. Num in quem transeamus ex quo præcipi potest? Figuræ laboranti etiam compositioni variatæ sæpe succurrunt. ⁴ Quæ? cum orationis, tum etiam sententiæ. ⁵ Num præscriptum ejus rei ullum est? *Occasionibus utendum, & cum re præsentis deliberandum.* ⁶ Enimvero spatia ipsa, quæ in hac quidem parte plurimum valent, quod possunt nisi aurium habere judicium? Cur alia paucioribus ver-

bis

Nam Arist. scribit *poësim initium habuisse ab imitatione, cujus initium fuerit rude.*

Idem.

¹ *Indeque illud, &c.*] Hoc versu Ennius significare volebat se primum apud Latinos apte carmen condidisse, quasi priores poëta uterentur versibus *impolitis & incomptis*: cujusmodi olim citra observationem à *Faunis* reddebantur in oraculis. *Idem.*

² *Versificatio.*] *Versificatio* est observatio legis & pedum in carmine: unde *versificatores* appellantur, qui carmina condunt ex lege, etsi tamen non tam

apte ut poëta vocari debeant. nam poëta nescio quid augustius habet. *Idem.*

³ *Mutandus est casus.*] Sic Fabius antea præcepit *mutandos* esse nonnunquam *casus, numeros, figuras*: qui locus cum hoc conferri debet. *Idem.*

⁴ *Quæ? cum.*] Alii, *Tum quæ.*

⁵ *Num.*] Alii, *Nec.*

⁶ *Enimvero spatia.*] *Spatia* appellat in *periodis*, ipsius *decursus intervallum ab initio ad finem*. solet autem illud intervallum aliquando aures implere, ac tum optima est *periodus*. *Turneb.*

bis satis plena, vel nimium, alia pluribus brevia & abscissa sunt? ¹ Cur in circunductionibus etiam cum sensus finitus est, aliquid tamen loci vacare videtur? *Neminem vestrum ignorare arbitror, judices, hunc per hosce dies sermonem vulgi, atque hanc opinionem populi Romani fuisse. Cur hosce potius quam hos? Neque enim erat asperum. Rationem fortasse non reddam, sentiam esse melius. Cur non satis sit, sermonem vulgi fuisse?* Compositio enim patiebatur. Ignorabam, sed ita ut audio, hoc animus accipit plenum sine hac geminatione non esse. Ad sensum igitur referenda sunt. Nequeas satis forte quid se verum, quid jucundum sit, intelligere: facias quidem natura duce melius quam arte: sed naturæ ipsi ars inerit. ² Illud prorsus oratoris, scire ubi quoque genere compositionis sit utendum. Ea duplex observatio: altera, quæ ad pedes refertur: altera, quæ ad comprehensiones quæ efficiuntur ex pedibus. Et de his prius. Diximus igitur esse incisa, membra, circuitus. ³ *Incisum* (quantum mea fert opinio) erit sensus non expleto numero conclusus: plerisque pars membri. Tale est enim quo Cicero utitur, *Domus tibi deerat? at habebas. pecunia superabat; at egebas.* Fiunt autem etiam singulis verbis incisa: ut, *Diximus, testes dare volumus.* Incisum est, *diximus.* *Membrum* autem est sensus numeris conclusus, sed à toto corpore abruptus, & per se nihil efficiens. Id enim, *O callidos homines,* perfectum est: at remotum à cæteris, vim non habet: *ut per se manus, & pes, caput.* & *O rem excogitatam, ô ingenia metuenda.* Quando ergo incipit corpus esse? cum venit extrema conclusio, *Quem, quaso, nostrum fefellit, id vos ita esse facturos?* Quam Cicero brevissi-

man

¹ *Cur in circund.*] Hac de causa Fabius antea præcipiebat ut quædam etiam adjicerentur, dum non otiosa essent. nam interdum bene terminatur sensus, male tamen *compositio*, propterea quod aures aliquid desiderant plenius. *Idem.*

² *Illud prorsus.*] Varianda est sapenumero *compositio*. nunc enim dicendum est *casum*, nunc *membratim*, nunc per-

fecta periodo. præterea aliis atque aliis numeris & pedibus est utendum. Est igitur artificis, posse compositionem cum decoro accommodare rebus. *Idem.*

³ *Incisum (quantum, &c.)*] *Incisum à membro* apud Fab. hoc differt, quia *incisum* numerum non explet, quem explet *membrum*. Aquila Romanus aliter, ut antea diximus. *Idem.*

I Genera

mam putat. Itaque fere incisa & membra mista sunt, & conclusionem utique desiderant. Periodo plurima nomina dat Cicero, *ambitum, circuitum, comprehensionem, continuationem, circumscriptionem.* ¹ Genera ejus duo sunt: alterum simplex, cum sensus unus longiore ambitu circunducitur: alterum, quod constat membris & incisis, quæ plures sensus habent: *Aderat janitor carceris, & carnifex prætoris, & reliqua.* ² Habet *periodus* membra minimum duo. Medius numerus videtur quatuor: sed recipit frequenter & plura. Modus ei à Cicerone aut quatuor senariis versibus, aut ipsius spiritus modo terminatur. Præstare debet, ut sensum concludat, sit aperta, ut intelligi possit: non immodica, ut memoria contineri. Membrum longius justo, tardum: brevius, instabile est. ³ Ubicunque acriter erit & instanter pugnaciterque dicendum, membratim cæsimque dicemus. Nam hoc in oratione plurimum valet: adeoque rebus accommodanda compositio, ut asperis asperos etiam numeros adhiberi oporteat, & cum dicente æque audientem inhorrescere. ⁴ Membratim plerumque narrabimus, aut ipsas periodos majoribus intervallis, & velut laxioribus nodis resolvemus: exceptis quæ non docendi gratia, sed ornandi narrantur: ut in Verrem *Proserpine raptus.* Hæc enim lenis & fluens contextus decet. Periodus apta procemiis majorum caussarum, ubi sollicitudine, commendatione, miseratione res eget. Item communibus locis, & in omni ampli-

fica-

¹ Genera ejus duo sunt.] Altera periodus est, quæ perpetua continuatione decurrit: & quanquam habet membra, tamen in illis non insistit: altera est periodus, membris distincta, & in illis interstitens. Idem.

² Habet periodus membra minimum duo.] Tamen à Græcis ponitur periodus *monocolos*, quæ uno duntaxat constat membro. eam Fab. non putat esse periodum, sed membrum duntaxat. Idem.

³ Ubicunque acriter.] Aliquando omiffa comprehensione colis duntaxat utimur

& commatibus, quod facere debemus ubi opus est *acrimonia*, quoniam illa cæsa & membra toties feriunt auditorem. Idem.

⁴ Membratim plerumque.] Narrationes forenses & civiles membra potius desiderant quam periodos, aut certe periodos similes membris. non enim debet esse in eis tam numerosa comprehensio, ne iudex artem intelligat. narrationes tamen quæ fiunt ad ornatum & amplificationem, numerosas admittunt comprehensiones. Idem.

Z z

I Totum

ficatione: sed poscitur tum austeram, si accuses, tum fusa, si laudes. Multum & in epilogis pollet. ¹ Totum autem adhibendum est, quo sit amplius compositionis genus, cum iudex non solum rem tenet, sed etiam captus est oratione, & se credit actori, & voluptate jam ducitur. ² Historia non tam finitos numeros, quam orbem quendam contextumque desiderat. Namque omnia ejus membra connexa sunt, quoniam lubrica est, ac fluit ut homines qui manibus invicem apprehensis gradum firmant, continent & continentur. ³ *Demonstrativum* genus omne fusiores habet liberioresque numeros. *Judiciale & concionale*, ut materia varium est, sic etiam ipsa collocatione verborum. Ubi jam nobis pars ex duabus quas modo fecimus, secunda tractanda est. Nam quis dubitat alia lenius, alia concitatus, alia sublimius, alia pugnacius, alia gravius esse dicenda? Gravibus, sublimibus, ornatis longas magis syllabas convenire? ⁴ Ita ut lenia spatium, sublimia & ornata claritatem quoque vocum poscant, potius quam his contraria. ⁵ Magis laudarem brevibus argumenta, partitiones, jocos, & quicquid est sermoni magis simile. Itaque componemus proœmium varie, atque ut sensus ejus postulabit. Neque enim accesserim Celso, qui unam quandam huic parti formam dedit: & optimam compositionem esse proœmii, ut apud Asinium dixit, *Si Cæsar ex omnibus mortalibus qui sint ac fuerint, posset huic causse disceptator*

¹ *Totum autem, &c.*] Ex Cic. videtur hic esse sensus, tum maxime utendum esse periodo numerosa, cum iudex captus est oratione, quia tum non intelligit artem, sed voluptate delinitus sponte sequitur dicentem. *Idem.*

² *Historia non tam.*] Cicero tribuit historiæ genus quoddam orationis tractum & profluens. nec enim historica periodus membris exæquatur & cæsis, ut oratoria. *Idem.*

³ *Demonstrativum.*] Genus demonstrativum magna ex parte comparatur ad ostentationem ingenii, neque in eo ars oc-

cultatur. igitur illic apertiores sunt numeri. *Idem.*

⁴ *Ita ut lenia spatium.*] Spatium (ut antea) videtur appellare intervallum à principio ad finem periodi: nisi forte melius sic accipiamus spatium syllabarum, & tempus quod efficit lenitatem. sed illo spatio non sunt contenta sublimia, nisi etiam habeant claritatem vocum. *Idem.*

⁵ *Magis laudarem brevibus argumenta.*] Hoc intelligendum est de argumentis quæ desiderant duntaxat subtilitatem. nam quædam sunt de rebus gravissimis, quæ aliud genus dicendi desiderant. *Idem.*

¹ *Arg.*

ptator legi, non quisquam te potius optandus nobis fuit. Non quia negem hoc bene esse compositum, sed quia legem hanc esse componendi in omnibus principiis recusem. Nam iudicis animus varie præparatur: tum miserabiles esse volumus, tum modesti, tum acres, tum graves, tum blandi, tum flectere, tum ad diligentiam hortari. Hæc ut sunt diversa natura, dissimilem componendi quoque rationem desiderant. An similibus Cicero usus est numeris in exordio pro *Milone*, pro *Cluentio*, pro *Ligario*. Narratio fere tardiores, atque, ut sic dixerim, modestiores desiderat pedes, & nominibus maxime mixtos. Nam & verbis ut sæpius pressa est, ita interim insurgit: sed docere & infigere animis res semper cupit, quod minime festinantium opus est. Ac mihi videtur tota narratio constare longioribus membris, brevioribus periodis. ¹ Argumenta acria & citata, pedibus quoque ad hanc naturam accommodatis utentur, non tamen ita ut trochæis, quæ celeria quidem, sed sine viribus sunt. Verum quamvis sint brevibus longisque mista, non tamen plures longas quam breves habentia. ² Illa sublimia spatiosas clarasque voces habent, amant amplitudinem *dactyli* quoque, ac *peonis*, etiam si majori ex parte syllabis brevibus, temporibus tamen satis pleni. ³ Aspera contra *jambis* maxime concitantur: non solum quod sint è duabus modo syllabis, eoque frequentiore quasi pulsum habent, quæ res lenitati contraria est: sed etiam quod omnibus partibus insurgunt, & à brevibus in longas nituntur & crescunt: ideoque meliores *choreis*, qui à longis in breves cadunt. Summissa, qualia in epilogis, lentas, & ipsa & minus exclamantes exigunt.

Vult

¹ *Arg. acria.*] Argumenta vehementia debent habere breves syllabas, ut currant: longas, ut insurgant: alioqui si breves essent duntaxat syllabæ, celeritas esset sine viribus. Idem.

² *Illâ sublimia.*] Merito sublimibus accommodat *dactylum*: hunc enim pe-

dem *amplum* & *magnificum* appellat Aristoteles, nuncupatque *heroum*. Idem.

³ *Aspera contra jambis.*] *Jambus* aptus est *maledictis*: convenit igitur rebus *asperis*. adde quod cum dissyllabus sit, frequentes habet percussiones. præterea à *brevi* surgit in *longam*, magisque ferit. Idem.

¹ Vult esse Celsus aliquam & superiorem compositionem, quam siquidem sciremus, doceremus: sed sit necesse est tarda & supina. Verum nisi ex verbis atque sententiis per sese id quæritur, satis odiosa esse non poterit. ² Denique, ut semel finiam, sic fere componendum, quo modo pronuntiandum erit. An non in procemiis plerunque summissi (nisi cum in accusatione concitandus est iudex, aut aliqua indignatione complendus) in narratione pleni atque expressi, in argumentis citati, atque ipso etiam motu celeres sumus? ut in locis ac descriptionibus *fusi ac fluentes*, in epilogis plerunque *dejecti & infracti*? ³ Atqui corporis quoque motui sua quædam tempora, & ad signa pedum non minus saltationi quam modulationibus adhibet musica ratio numeros. Quid? non vox ad actus accommodatur naturæ ipsarum de quibus dicimus rerum? Quo minus id mirum in pedibus orationis, cum debeant sublimia ingredi, lenia duci, acria currere, delicata fluere. ⁴ Itaque ubi est necesse, affectamus etiam tumorem, qui spondeis atque jambis maxime continetur.

⁵ *Hyperoargus* * *sceptra mihi liquit Pelops*. ⁶ At ille comicus æque senarius, quem *trochaicum* vocant, pluribus choreis, qui

¹ *Vult esse Celsus.*] Videtur Celsus potuisse quandam compositionem *exaggravatam & gravem*, quam superiorem appellavit, quod opinaretur optimam. eam damnat Fab. quod sit nimis tarda. *Idem.*

² *Denique, ut semel finiam.*] Ex similitudine pronuntiationis docet varian-dam esse compositionem, rebusque accommodandam. affert præterea alias similitudines ut idem doceat. *Idem.*

³ *Atqui corporis.*] *Motus corporis* constat variis numeris, *saltatio* quoque. parem igitur varietatem in oratione servare debemus. Cum *signa pedum* dixit, aut intellexit *pedum motum numerosum in saltatione*, aut *pedum percussiones* quibus metimur tempora. *Idem.*

⁴ *Itaque ubi est necesse, affectamus tumorem.*] Barth. *Adversar.* lib. 25. cap. 10. p. 1233. *Racemation.* in Petron. p. 487. 488. Edit. Goldasti.

⁵ *Hyperoargus.*] Carmen est ex quodam Tragico, quod in exemplaribus varie legitur. quod si legatur *Hyperoargus*, significabitur *splendidus* atque *velox*. In aliis legitur *Hyperargus*, ut sit *valde velox*: sed ita non constat versus. hic autem versus constat *spondeis & jambis*, itaque tumidus est. Turneb. *Hyperoargus*, * *sceptra mihi Pelops.*] Seneca lib. 2. cap. 81. Turneb. *Adversar.* lib. 12. cap. 11. pag. 390.

⁶ *At ille Comicus.*] *Trochaicum senarius* non tantam habet gravitatem quanta est in *tragico jambico*. cadit enim à *longa in brevem*. Turneb.

qui trochæi ab aliis dicuntur. *Pyrrhichius* quidem decurrit: sed quantum celeritatis habet, tantum gravitatis amittit,

Quid igitur faciam? non eam ne nunc quidem?

Asperum vero & maledicum etiam in carmine, jambis grafatur,

Quis hoc potest videre, quis potest pati,

Nisi impudicus, & vorax, & aleo? In universum autem, si sit necesse, duram potius atque asperam compositionem malim esse, quam effœminatam & enervem, qualis apud multos: & quotidie magis lascivimus ¹ *syntonorum modis saltitantes*. Ac ne tam bona quidem ulla erit, ut debeat esse continua, & in eisdem semper pedes ire. Nam & versificandi genus est, unam legem omnibus sermonibus dare: & id cum manifesta affectatione (cujus rei maxime cavenda suspicio est) tum etiam similitudine tædium ac fatietatem creat: quoque est dulcius, magis perit: amittitque & fidem, & affectus, motusque omnes, qui est in hac cura deprehensus: nec potest ei credere, aut propter eum dolere & irasci iudex, cui putat hoc vacare. ² Ideoque vinceta quædam quasi solvenda de industria sunt, illa quidem maximi laboris, ne laborata videantur. ³ Sed neque longioribus quam oportet hyperbatis compositioni serviamus, ne quæ ejus gratia fecerimus, propter eam fecisse videamur. Et certe nullum aptum atque idoneum verbum prætermittimus gratia lenitatis. Neque enim erit ullum tam difficile, quod non commode inferi possit, nisi quod in evitandis ejusmodi verbis ⁴ non decorem compositionis quærimus, sed

¹ *Syntonorum.*] *Syntoni*, *symphoniaci* sunt, qui instrumentis pulsatis harmoniamque efficientibus convenientem, modos suggerunt saltantibus. alii appellant *syntonos*, qui motu corporis convenienti respondent tonis & modulationi canentium. *Idem.* *Syntonorum.*] *Sybaritarum.*

² *Ideoque vinceta.*] Sæpenumero in *proœmiis* simplicitas esse debet: nam ea

magis solet irrepere in animos auditorum. illic igitur aut *numeri* sunt tollendi, aut certe *obscurandi*, ne eos intelligat iudex. *Turneb.*

³ *Sed neque long.*] *Transgressionibus* uti solemus *numerorum* causa, sed illæ non debent esse prolixæ, quia ita appareret *numerus* & *affectatio*. *Idem.*

⁴ *Non decorem compos. &c.*] Qui fieret, si *verba* illa *aspera* apte collocaremus

sed facilitatem. Non tamen mirabor Latinos magis indul-
fisse compositioni, quam Atticos, quamvis minus in verbis
habeant varietatis & gratiæ. Nec vitium dixerim si Cicero
à Demosthene paululum in hac parte descivit. Sed quæ sit
differentia nostri græcique sermonis, explicabit summus li-
ber. *Compositio* (nam finem imponere egresso destinatum
modum volumini festino) debet esse *honestæ, jucundæ, variæ*.
Ejus tres partes, *ordo, conjunctio, numerus*. *Ratio*, in adje-
ctione, detractio, mutatione. *Usus* pro natura rerum
quas dicimus. *Cura* magna, ut sentiendi atque loquendi
prior sit. *Diffimulatio* curæ præcipua, ut numeri sponte
fluxisse, non arcessiti & coacti esse videantur.

mus *commutata compositione*. sed *commu-* facilitatis causa nonnunquam evitamus
tatio forte efficeret difficultatem: igitur *ea verba*. Idem.

M. FAB.